
P
III 84

Guainery antony

NOVAE ACADEMIAE FLORENTINAE OPUSCULA.

Aduerſus Auicennam, & medicos neotericos, qui Galeni diſciplina neglecta, barbaros colunt.

Elenchum ſequens pagina demonſtrabit.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA

APVD SEB. GRYPHIVM LVGDVNI, 1534.

GALENICA ACADEMIA STVDIOSIS SALVTEM.

NOn erat nobis animus uiri ſtudioſi, contumelijs impetere quempiam: ſed neq; lucubrationes noſtras qualeſcunq; ſint oſtentare, aut iactare opera, uerum maledicorũ quorundã garrulitas nos coëgit, aduerſus quoque animi noſtri impetum talia moliri. Ne ſilentes aut ueritatem diffiteri uideremur: aut pro ea pugnam detrectare. Cui, inquam, ueritati omni ſtudió ac labóre hactenus inſudauimus. Porrò ſi eam probe adhuc aſſequuti non ſumus: ueſtrum erit (his dico quibus Deorum munere barbarâs manus effugiſſe licuit) noſtra fouere cœpta: ac uetus Galeni dogma modo renaſcens adaugere, ad noſtræ ętatis decus, & poſterorum utilitatem. Valete, noſtri memores. Florentię Nonis Auguſti, Anno. M. D, XXXIII.

Veritas

CONTENTA.

Dialogus, qui Barbaromaſtix, ſeu Medicus dicitur.

Petri Franciſci Pauli medici Galenici aduerſus Auicẽnam de Venæ ſectione tractatus.

Leonardi Giachini aduerſus Meſuem & uulgares medicos omnes tractatus.

BARBAROMASTIX, SIVE MEDICVS, DIALOGVS ELEGANTISS.

BENIVENVS. LANDINVS.

QVIS NAM *hic hominum conuentus? aut quid ſummo adhuc mane ita ſedulò mirantur? Num quidpiam noui adlatum nobis eſt, aut iucundi? Salue mi Landine.* LAN. *Et tu ſaluus ſis optime ſenex.* BEN. *Quid fit? Quid agitur?* LAN. *Spectabam modò naturæ opera, atq; adeo uarias plantarum figuras: Admirabar artificem, qui tanta herbas, floresq; uarietate, tot iterum coloribus iucundiſſimis diſtincta depinxit: qualia nec per mille ſecla pictores, quanquàm celeberrimi, imitari queant. Porrò cætera quæ medici ſunt, haud mea intereſt perſcrutari.* BEN. *At ego aliquantiſper ex uitreis oculis auxilium petam: diu enim eſt quum præ ſenecta minus oculis ualeo. O quanta ludit natura, quãtasq; uires in humili corpore coniecit: uerũ eas haud attingit oculus, licetq; unicuiq; uultus, atq; ornamẽta ſpectare: at ſiquo uſui ſint, paucis, & quidem elaboratis uiris.* LAN. *Optime dicis, non ſine labore, eoq; non modico, notitiam hanc acquiri poſſe, qualibet adgrediaris uia: quam rem audiui ſæ-*

 pius

pius apud doctos uiros in examen uenire. Nã si ueterum obseruationi insistas, atq; alienis laboribus frui uelis, difficile est sæpe conijcere, quid cui tribuant: tanta est plerunque notarum similitudo, obscura quoq; ac difficilis, quæ per uerba explicatio fit. Quòd si tuo confisus ingenio, ac doctrina ea quam Galenus multis libris cõplexus est, herbarum uires uestigare tentabis, certior multo nobis foret contemplatio hæc: uerum rem admodum arduam aggredieris. Cum enim duplici itinere ad notitiam hanc peruenire poßimus, utrunq; tamen angustum est, salebrosum, atq; omnino difficile. Alterum nanq; sensibus ipsis ratione iuuante innititur: Alterum experientia duce procedit, quam & uiam regiã Galenus appellauit. Quorũ utrumuis quantas secum ambiguitates ferat, hi sciunt soli, qui in eiusmodi negocio uersantur. BEN. An igitur fatendum est inuidam nostri naturam, siqua humano generi utilia sunt, ea quidem de industria occultasse, ac scrutatu difficilia statuisse? LAN. Haud equidem inuidam dixerim, uir præclare: sed ne torpêre graui pateretur secla ueterno, atque omnino citra ocium degerent homines, nempe uitiorum omnium genitorem. BEN. At longe aliter euenit, ut luxui potius, atq; ignauiæ dediti, quæ sibi agri cultura medicinaq; (duæ scilicet humano generi præ cæteris utiles, ac necessariæ artes) exposcunt, perscrutari omiserint. LAN. Quid si breui fiat ut res medicæ, quæ diu neglecta iacuit, resipiscat tandem? tanta nobis quorundã ingenium pollicetur. Atque in primis auxiliorum materia, quam tantopere arduã dicebamus. BEN. Dij faxint. Attamen hoc optandum potius, quàm sperandum est. Neque

enim

enim ex mulierculis, & omnino rustica plebe, in quorum manibus hac tempestate res herbaria uersatur, quippiam boni expectare potes: ut qui meo iudicio errorem errore cumulent. At doctis uiris profecto haud suppetit tempus, quo uel hora una huic labori inseruiant: tanta restant in hac arte perdiscenda, tamq; late patet medicinæ campus. Non iniuria igitur, primates, medicos audiui sæpius, uanum hunc laborem dicere, & quo uix quippiam assequi queas, sed nec in medicina admodum utilem, ut quibus abunde remediorum copia suppetat. LAN. Ego uero istos tuos primates medicos lubēs sciscitarer, qualia sunt quibus abundant: neque enim præter Cicorium, Satiuam, Intybum, Buglossum, Apium, Asparagum, atque huiusmodi paucas, & eas quidem ignobiles, plantas in usu esse conspicio. Atque utinam eas ipsas, ac non potius sola nomina spectaremus quandoq;, dum pro Intybo agresti, agrestem lactucam: pro Buglosso, aut Eupatorio, plantas omnino his diuersas: pro Scolopendrio, Phillitim: pro Scordeo, Ophioscorodū solent accipere. Missa facio quæ externis aduehuntur oris. Cinnamomum, Costum, Cassiam, Aspalatum, Balsami materiam omnem, Ammoniacum, Myrrham, Styracem, Bdelium, Lemniam terram, Armenam, atque eiusmodi multa. Ea enim adeo genuina sunt, ut nullus nosse queat, ni nomen immerito seruarent. Contingit enim uel subreptitio nomine paßim frui, uel si tales fuere quondam, nil aliud fuerit hoc Costum, hoc uero Bdelium appellasse, quàm si mortuum iam diu hominem, hominem diceres. His tamen paßim medicos uti uides, his se credunt ab inferis homines reuocare, Pluto-

nisq; depopulari regiam, has semper in ore habent, dum receptas suas componũt. Quanto igitur satius fuerat, doctos uiros ea sedulo quæsijsse, atque inuenta monstrasse, quàm inutiles quasdam disputatiunculas, nec non inania cauillamenta omni studio prosequi. Quare ne dicãt amplius, inutilem hunc laborem esse, seq; remediorum copia abundare: Dicent'ne iterum uanum, quoniam sæpius homines suo fine frustretur? Nequeo non execrari hominũ malignitatem, atque impudentiam, quos uideas generosis uiris oblatrare, atque his negocium facessere, qui totis enituntur uiribus, ut primæ saltem medicinæ fores posthac latißime pateant. Non'ne hi digni tibi uidẽtur, quibus dicatur. Noctua phœbeum cum non ferat orbem, Hoc etiã Iouis armigero putat esse negatum. BEN. Quicquid tandem de utilitate sentiam, mihi tamen uel nolens fateberis sui difficultate, studium hoc à subtilißimis medicinæ theorematis longe hominem auertere. Neque enim potest hominis uita ad tot tantaq; sufficere. LAN. Abeant igitur, ac ubi subtilißimam hanc suã medicinam didicere, Cichorio, Malua, Blitoq;, omnes profligent morbos: uerum pace tua uelim te non nihil erroris incusare, ut qui adeo leuiter his credideris, atque eos defensare enitaris, qui solis maledictis se ab ignorantiæ nota tutari student. Noui ego isthæc uerba, nam sæpius & nostras feriere aures: huiuscemodi nanque aduersus cordatißimos quosdam iuuenes, inuidi atque illiterati senes proferre solent: uerum si probe nosses hominum mores, & qui nam iuuenes sint, qui econtra senes adeo tibi (ut uideris) grati, desisteres profecto, ita temere iudicium ferre, ac lata sen-

tentia clam condemnare. Neque enim ubi hæc noueris, tibi amplius uidebitur admirabile, quibusdam fas esse, non modo medicam materiam, sed & medicinæ partes omnes abunde scrutari, his autem ne leuiter quidem attingere. BEN. Dic quæso, talia enim uel maxime audire cupio: quid scis an & ego in partes tuas ilico ueniam? LAN. Age geratur mos tibi: sed quoniam stupidum odi uulgus, ne forte uocem meam paulo altiorem arripiat, in proximum diui Apollinaris secedamus sacellum, atq; ibi summotis arbitris, rem omnem aperiam. BEN. Me uero pro foribus consedisse iuuat, quo prætereuntes spectare poßim, tu uero perge, quæ cœpisti. LAN. Primum si mores medicorum censeas, quorum pauloante meminimus, quiq; medicam sibi gloriam omnem arripiunt, hos curam omnem ac studium lucri causa instituisse comperies, atque hunc sibi rerum agendarum scopum proposuisse. Quoniam uero plurimum cum imperitis & uulgaribus hominibus uersari debent, nullum sibi cum literis negocium habendum censent: sed eò omni diligentia ac studio tendunt, quo amicos aucupentur. Plurimum enim non qui optimus medicus sit, sed qui familiaris maxime, quæritur: uerum non eisdem penitus artibus utuntur: Alij nanque commessationibus, largiendo, assentando, scurrilitatibus, plurimis grati euadunt: Alij iactantia, præmiorum ostentatione, nitido cultu, graui intuitu: demum uultu corporeq; toto in omnem maiestatem composito, se uulgo admirabiles præstant. Religionem simulant, alij cœnobia frequentant, per urbem nescio quid sacrum mußitantes uehuntur, pecunias uerbis

ſpernunt, quas tamen auidiſsime amplectuntur. Quo fit, ut uel in ſolo eorum contactu confidant homines. Alij demum ſeplaſiarijs cæteriſq; medicorum miniſtris blandiuntur, atq; his ſe admodum gratos exhibent, quo apud ægros abunde prædicentur, ſuiq; deſiderium pariant: ſed & mulierculas conueniunt, obuias ſalutant, laudant quæ dixerint, atq; omnino ſtudent, ut uel inuitis uocentur uiris. BEN. *Quam ſatyram agis mi* Landine? *ut te lubens audio?* Perge igitur. LAN. *Eia optimos & uultu ipſo caniſq; uenerabiles ſenes, en ueritatis ſtudioſos, en elaboratos uiros.* Noſtin, *modo cur herbarium ſtudium damnẽt: atque huic adeo utili inquiſitioni riſu iociſq; detrahant. Quibus nanq; opus eſt mille dolis atq; artibus mœchari, tum homines circumuenire, nil mirum ſi primum nec humanas literas minimũ attingunt. Quanto minus logicam, phyſicam, mathematicas, atq; ex medicinæ partibus,* Ana*tomeiam, ſimplicium notitiam, affectorum locorum ſcrutinium, ſeu ſiquid aliud ſit in hac arte ſcrutatu dignum.* BEN. *Vera mihi profecto narras, nã & aliâs hominum mores deteſtatus ſum: ſed eo magis, ubi tu monſtraſti, q̃ longe à ueris ſtudijs hominem auertant, cum uix tot negocijs tempus ſuppetat.* LAN. Ne *igitur uideantur utile quippiam aut decorum omiſsiſſe, unicũ ſibi inuenere præſidium, tum ſtudium detractare, tum aduerſus hos inuehi: hos inquam impudentes, hos uanos, hos loquaces dicere.* Verum *ſi econtra mores eorum referam, quos ita odio habent, iam tibi ſatis fiet ſpero.* Neque *enim mirabere amplius, cur illis quidem non immerito impoſsibilis ſit herbarum commentatio, his uero haud ardua.* BEN. *An*

ne ar

ne arduam quidem dicis? profecto isthoc haud gratis con cesserim. Quid igitur & tu paulo ante ipsius difficultatem prædicabas? LAN. Ne arduam quidem præ cæteris quæ ipsi moliũtur, ueterem inquam medicinam instaurare: remediorum usum, atque eum syncerum, neotericis his abolitis instituere: dieteticen item, cæteraq; ueterum placita, quæ per quingentos annos delituere, ad lucem ducere. BEN. At at, isthuc quod dixti modò, & aliâs ad aures peruenit meas, iuuenes quosdam inexpertos, furore nescio quo percitos, quò simul gloriam & lucrum sibi pariant, medicinæ autoribus maledicere, aduersus remedia experta inuehi, noua comminisci, atque eiusmodi alia: quæ quidem audiens, dolui in re adeo periculosa ludere homines: & (ut in prouerbio dicitur) antiquam uiam noua ascita relinqui. LAN. Ab ne maledicas quæso, aut iudices, priusquam seu reum seu aduocatum audias. Ego nanque non aliter ac tu nouis medicis olim succensui. Verum ubi eorum studium, diligentiam, doctrinæ ubertatem, patientiam, uitam inculpabilem noui, me ilico mei pertæsum. BEN. Age dic prius, qui nam hi sint, aut quo nam pacto eis conuersatus sis: uidêris nanque tuis uerbis, huic factioni admodum addictus, ac iam medicus euasisse. LAN. Nostin' Petrum franciscum, Paulum, atque Athanasiũ medicos? BEN. Quid ni norim? LAN. Nostin' iterum Leonardum Giachinum, ac Iacobum Minium, medicos Paulo iuniores? BEN. Eos quidem haud noui, uerum fama compertum habeo, doctos iuuenes: sed & rei medicæ admodum studiosos. LAN. Rem tenes: sed quo pacto mihi res innotuit, audies. Hic prouerb.

hominum quaternio prouinciam hanc, & si durißimam, aggreßus est. Contigit itaq; ut cum ad proximum seplasiarium quotidie huius rei gratia cõuenirent, unà & ego considerem sæpißime: ut qui minus pedibus ualens, lubẽs colloquor, his præsertim, qui mihi aliqd sapere uidentur. BEN. Quis igitur erat huius collegij scopus? LAN. Pudebat eos adeo turpiter in cœno barbarorum uolutari, in tanta rerum ignorantia uersari, medicos falsò dici: Galenum summis quidem labijs laudare unumquenq;, sed ualere sinere omnes. His igitur adeo deploratis studijs, opẽ ferre summopere optantes, necessarium duxerunt (quo medici finem, sanationem scilicet, probe assequi liceret) ut siqua fieri posset, auxiliorum materia, iamdiu deperdita, in hominum rediret notitiam. Ideoq; per totam hanc hyemem cœpere ex Dioscoride historias, & uultũ plantarum obseruare: ex Galeno uero earũ uires: uterq; enim liber, iugiter eis præsto erat. Porrò ut oculata fides dictis attestaretur, sæpius rura, montesq; petiere. Nouißime uero cum primum per niues licuit, dum alij notas domos salutant, ac nobiliũ exosculantur dextras, alij conualescentes nedum ægros, crebra uisitatione fastidiunt, alij negociosos se populo ostentant, ac generosa per urbem mula uehuntur, purpurati, quasi spectaculum aliquod populo præbituri: dum alij demum modis omnibus lucro inhiãt, hi Apennini iuga montesq; peragrarunt: atq; adeo profecerũt, ut plantas plurimas ex nobilißimus & suscitarint, & ad usum uerterint, quarum nonnullas paulo ante spectabamus. Composita item medicamẽta sibi parare conati sunt, non quorum author Nicolaus quidam, aut Mesues

esset: sed quibus Galenus, Paulus, Andromacus, cæteriq́; ingenio felicißimo uiri usi essent. Qua in re certis primũ simplicibus, atq; omni diligẽtia uestigatis, probè usi sunt: quod siqua dubia, aut inuentu admodum difficilia forẽt, succidanea quæsiere pulcherrima. Speroq́; fore, ut talis labor aliquando in lucem prodeat. Caue igitur dicas amplius spe lucri eos duci, qui non modo hoc in negocio plurimum rei familiaris absumpserint, sed & certò sciãt, non mediocrem sibi lucri iacturam afferre, quod omnibus ferè tum, medicis, tum seplasiarijs odio sint: nec mirum, si solis lux noctuæ, bubonibus, cæterisq́; miserrimis auium odio est. BEN. *Iupiter optime, quàm lubens audio, ac eorum labores ueneror.* LAN. *Sed quò scias nihilo secius in cæteris medicinæ partibus, exercitatos uiros (ne dicas amplius dolere te homines in tanto discrimine ludere) quoad mihi fas erit medicinæ experti, monstrare uolo, quàm honestum incœptum, quàm rationabile, ac laude dignum existat: nempe id quod tu paulò ante dolebas, ueterem scilicet medicinam innouare. Audistin' tu aliàs primum Hippocratem rationalis medicinæ seminaria iecisse, Galenum postmodum ea diu neglecta luculenter excoluisse.* BEN. *Legi apud Celsum de Hippocrate multa: de Galeno uero tanta audiui, & tam mira dici, ut Deus aliquis nobis cœlitus missus, potius quàm homo uideatur.* LAN. *Vera dicis: huic nanq; subscribunt omnes, atq; hoc uno gaudent præceptore: hunc suspiciunt, hunc imitantur, unicuique sibi satis gloriæ adeptum uidetur, si Galenicus dici mereatur: uerum non secus ac quadrigarum cursu accidit, ut omnes*

quidem

quidem totis nitantur uiribus, uix unus palmam referat: ita ex tot qui eum imitari conati sunt, uix unum reperias qui faciat satis. BEN. Non uideo quò isthæc tendat oratio. LAN. *Sine me, paucis absoluam. Siquis purißimo relicto fonte, è riuulo haustam tibi bibendam daret, quod scilicet paulo facilior haustu foret: num hunc probares?* BEN. *Haud sanè.* LAN. *Quid si iterum riuulus ille cœnosus, putidus'ue foret?* BEN. *At at, modò uideo quo longa ambage diuertas, nempe ut* Galenum *sectandum mõstres, non eos qui se* Galeni *genium mentiuntur: sed quid postea?* LAN. *Si igitur hi relictis omnibus alijs (præter admodum paucos, quos ex confeßo habent* Galeni *mentẽ optime calluisse) ipsum autorem omnium sectantur* Galenum, *nũ tibi hoc uitio uerti debere uidetur?* BEN. Nequaquam *profecto: nam inde erroris minimũ oriri potest, quo propius primæ rei origini accedis.* LAN. *Ne igitur cuipiam curæ sit, si scriptores quosdam rudißimos, quos tamen (multo hominum damno) in pretio haberi uident, demoliri temptant: non quidem maledictis solis, ut tu dicebas: uerum rationibus, atq; eorum autoritatibus, quos suos autores dicunt.* BEN. *Sine me obsecro paululum aduersari tibi, ita nanq; certior multo euadam,* Tace: *quos nam uideo concertantes uiros, senem alterum, iuuenem alterũ.* LAN. Non *potuit quippiam nobis magis è sententia euenire; age compellemus homines.*

Senex

SENEX MEDICVS. ATHANASIVS. LANDINVS. BENIVENVS.

LANDINVS.

HEVS. SENEX. *Non erit profectò uobis cum pueris contentio, uti arbitramini, uerum cum barbatis uiris, qui uos proculdubio mutos reddēt.* LAN. *Heus inquam.* ATH. *Quis nos uocat? è proximo ſacello uox erupit.* LAN. *Vos ambos uolo.* SE. *Quid tibi nobiſcum negotij eſt: num fortè ex tuis familiaribus ægrotat aliquis?* LAN. *Quid tu adeo alte clamas, inflatis buccis, candentibus oculis? at non decuit adeo compoſitū hominem iraſci.* SE. *Neq; ipſe (puto) Beatus Franciſcus mihi familiæq; meæ aduocatus, ipſum inquam patientiæ exemplar, ferre poſſet horum inſolentiam. Si enim & tu ſemel audires Landine, quomodo ſenes medicos pedibus calcant, quomodo inquam omnes noſtros medicinæ doctores deſpiciunt, atq; irrident: dicantq; ſe ſolos medicinam ſcire, non mirareris amplius. En temeritatem maximam: dicunt hi, ſe iuxta Galeni dogma ſolos mederi, ſe ſolos eius mentem intelligere, ac ſi & nos eius ſcripta non legerimus, aut non legerit princeps Auicenna, diuusq; Meſue, necnon altiſonans Nicolus, & celeberrimus Montagnana.* LAN. *Quam male factum: hui magnifica nomina.* SE. *Deus tandem omnibus iniqua cogitantibus iuxta merita pœnas penſabit: ſed ſinite me abire.* LAN. *Siſte obſecro pedē, optime atq; facundiſſime ſenex.* SE. *At mihi ocium non eſt, ſiquidem ægri hoc mane triginta uiſendi*

ſendi

ſendi ſunt, & iam hora eſt diei tertia. LAN. *Quin nobis te obſequentem præſta, interea ad tantos labores ſe accinget mula: tu quoq; quiete leuior factus, promptius ſcalas aſcendes.* SE. Nequeo non *obſequi uobis* Landine. Age *tu, num in eadem adhuc perſtas ſentẽtia?* ATH. Quid ni? SE. Gaudeo *igitur uiros hoſce, tam ſcelerata uerba audire, ni forte talia dicere uerearis* modo. BEN. *Quæ nã obſecro? num hic aduerſus cœleſtia numina blaſphemus?* SE. *En audies qualia ſint, ſi uolet.* Dicis *tu modo diuum* Meſuem *bonũ medicum nõ extitiſſe, nec nobis ſalubria præcepta reliquiſſe, an negas?* ATH. Neq; *diuum eſſe aio, nec medicum: ſed nec ſatis commodum pharmacopolam, aut unguentariũ.* Præcepta *quoq; plurima ægra, reliqua uero neutra, nulla ferè ſalubria reliquiſſe.* SE. Itaq; *uosmet audiſtis:* quid *uobis uidetur?* O *bone* Meſue *dux lumenq; omniũ,* quomodo *proteruus iſte atq; impudẽs iuuenis te lacerat.* Ego *uero ueluti numẽ te ſemper colui, librumq; tuũ ſtans, detectoq; capite perlegi.* BEN. Profecto *ſi hæc temere, atq; inuida quadam maledicẽdi cupiditate dicas, haud recte facis. Quod ſi minus, iuſtũ eſt, quæ ad hæc dicenda te mouerint,* expoſuiſſe. ATH. *Haud equidẽ deliriũ uiri* optimi, *quãto minus inuidia, cuius rei uos eſtote iudices: ſed ueritas ipſa, quæ nobis tãdẽ irrepſit, Aetereas cœlitus demiſſa per auras. Auſculta igitur, nã tibi uel paucis ſatisfaciã:* Primũ *enim qui eũ medicũ dicã, qui medicã materiã ignoret.* Debinc *& cõpoſitiones ſuas ita tractet, ut nõ methodo quapiã repertas, ſed per inſomnia, aut oracula reuelatas dicas.* Pudet *me huius hominis ſcriptis* Galenũ *cõferre, tũ in ea doctrina qua cõpoſitiões ſecũdũ genera,*

tum

capit Meſuem

tum ubi iuxta patiētes particulas abūde docet. Vbiq; enim quæ ab eo probātur medicamēta, recta quadā ratiōe, atq; utilißime cōfecta demōstrat. Hic uero suis nec cōponendi rationē addit: tāta insuper tribuit, quāta nec ratio dictat, neq; experiētia iuenit. SE. Nequeo me cōtinere amplius, quin in eū inuolē: miror quoq; uos adeo patiēter auscultare. LAN. Atqui hoc iudicis merum officiū est. SE. Credite seni potius: isti nāq; delirāt, occident quoq; plusquam dimidiā ciuiū partē, uiuorū anatomicen nuper facere didicere, en predixi uobis. LAN. Recte mones, uerū res ipsa mōstrabit: tu igitur perge, ut cœpisti, te à delirij nota defendere. ATH. Præstò est unicuiq; doctißimi Manardi libellus, in quo plurima huius hominis errata tetigit, quē si legeres Lādine, ediſceres profecto nebulonē illū ī cæteris quidē artibus oīno rudē, in medica uero disciplina uixdū tyronē, in primis foribus cadere: pluraq; esse sibi errata, q̄ uerba. Adderē præterea multa, ni laborē hūc post Manardū acri ingenio iuuenis Iacobus Minius suscepisset, in ea epistola quā Alexādro Ripæ scripsit. BEN. Mira sunt quæ dicis: unde nāq; tanta iudicij humani immutatio orta est: ut quē pridie laudabāt, colebant, uituperent modo ac despiciāt? Equidem audiui sæpius, eiusmodi precātes medicos: O` utinam Mesues librū suum complesset, quasi eo solo perfecta omnibus numeris foret medicina. ATH. At nos iterum, O` utinā ex Arabum schola nulla ad nos peruenissent uolumina: neq; enim modò nobis tantus superesset labor, nec tot ingenia frustra insudassent, ubi hosce notarios, ne admodum quidem scite quæ legerant exscribentes, dies noctesq; euoluunt: temere item ab his scripta

falso´ue

falſo'ue, defendere ſummo ſtudio conantur, ubi demum ſe eorum expoſitores aperte fatentur, quos proculdubio ingenio ſuperãt: De latinis loquor, Gentile, Iacobo, Vgo ne, cæteriſq; quamplurimis, quorum errata ex malis du- cibus, quos ſectati ſunt, ortum habuere: proinde & te nõ minus excuſatum habeo, uirum alioqui non infelici inge- nio, doleoq́; in mala enutritum hæreſi, atq; eò incorrigi- bilem. SE. Tu igitur me hæreticum, atq; incorrigibilem dicis? O' impudentiam hominis, ò malignitatem: optimum uirum, ac religionis uel maxime cultorem, hæreticum di- ci? Ego uero pro mea fama minime certarim: Vosmet abunde qualis ſim, noſtis. LAN. Optime ſecum agis: Satis enim uita moresq́; tui noti ſunt, nec teſte tua eget inno- cẽtia. Illud potius nobis dicat uelim, quid nam in Arabum doctrina erroris inuenerit, quæ dãnet. SE. Recte mones: ilico enim qualibus nugis occupentur, liquido apparebit. ATH. Enim uero minime arduum id mihi erit: Illud po- tius difficile fuerat, ſi in tanto cœno auri uel pauxillum, reperire iuſsiſſes. Videor mox uberem ingredi campum, atq; ut à primo rei initio ordiar: Arabes medici, quicunq; ingenij ſui monumenta reliquerunt, nil aliud tot tantiſq; ſuis uoluminibus ſtuduerunt, quàm ut fucorum more alie no labore partis fruerentur, ſeq́; (ut aiunt) alienis ueſti- rent plumis. Atq; hoc equidem parum fuerat, ni ſuo fœdo contactu, harpyiæ ritu, omnia contaminaſſent. In plenum duplicem ſcriptorum differentiam apud eos inuenio. Alte ra quidem eorum, qui paulo cæteris audentiores, Græcos ipſos (communes nempe autores) ſectati ſunt. Porrò Ga- leni, Hippocratis, Oribaſij, Pauli ſcripta lectitantes, dum

planio

planiorem ac breuiorem doctrinam effinxisse se credunt, longè à ueritate aberrarunt: quoniam neque autoris officio functi sunt, sed nec fidi interpretis, ut mox monstrabimus. Porrò cæteri his rudiores, Græcos quidem haud attigerunt, uerum ad priores illos conuersi, eos quasi autores accepere: atque in hoc ordine Mesues est, qui ex Serapione, & Auicenna sibi omnia assumpsit, quāquàm & hanc differentiam uix uitet Auicenna ipse, qui Serapione, Rase, ac plerisque alijs suæ gentis uiris, ueluti ducibus, usus est. Mißis igitur cæteris, ad Serapionem me uerto, nempe cui non minimum gloriæ à medicis huius tempestatis tribui soleat: non'ne & tu hunc in simplicium doctrina optimum censes? SE. Quis nam hic disceptandi modus: quin dic, quid tibi uelis: iam aliquem puto laqueum tendis, retes paras. ATH. Nunquid ego auceps sum, tu uero auis? LAN. Responde obsecro quid sentias: unde nam tibi modo orta est suspicio? SE. Quid deinde? ATH. Hunc adeo egregium herbarium tot uideo nosse plantas, ut ne ad paranda quidem obsonia, satis coquo forent: nec mirum, cum talem sibi proponat initio scribendi scopum: Ne forte inquit lector tædio afficiaris, ne'ue librorum multitudine bibliothecam occupes, quando in Dioscoride historias, in Galeno plantarum uires quærere debes: in communem studiosorum utilitatem statui librum componere, in quo simul utriusque uerba perstringam, hæc ille. Ad hoc igitur ita altum opus, Deos inuocat, & numina propitia deprecatur. Atque utinam quæ spoponderat rite seruasset, ac Dioscoridem suæ genti incorruptum restituisset: solaq; Galeni præ-

notat Serapionē

cepta, ac non mille alijs erroribus immiscuisset. Siquando enim licentiosius digredi uoluit, ilico cecidit. Porrò siqua forte fortuna quandoq; incidisset nomunum æquiuocatio, ea ipsum omnino ignorantiæ arguebat: cũ pariter & uocabula ipsa, & naturas confunderet. Hoc *sibi in Centaurio euenit, dum maius minusq́; totis naturis seiuncta conciliat: hoc & in Syluestri uite, quam turpißimo errore, Labruscæ immiscet: hoc item causa extitit, cur Sabinã herbã Iunipero confunderet. Poterat bonus Serapio (si quidem eruditus herbarius erat, ut hactenus creditũ est) nos multoties unico uerbo, multo cum labore, tum errore exonerare: si cum Dioscorides aut breuiter se expedit, aut omnino à pictura abstinet: uelut in Pulegio, Diptamno, Hyssopo, Scandice, Lepidio: uel minimum quippiã addidisset: quod nõ fecisse admodum culpabile est: sed & nos suspectos reddit, ne forte plurima exscriberet quæ ignorabat. Quòd enim in medicina simplicium, quam postremo capite refert, cũcta erroribus repleuerit: quãdo quæ alterius propria sunt, alteri tribuit: quũ iterum tot ridicula, tot mẽdacia aggregat, haud scio quonã modo defendi queat.* SE. *Illud profecto aggregatoris extitit officiũ, nullo inquam delectu habito, singula adnotasse. Eodem scribendi genere usus est & Rases, in suo omnia continente uolumine. Quare ne ipsum iniuste accuses rogo, sed siqua bona sunt tibi accipito, reliqua uero dimittito.* ATH. *Magnas profecto egisse gratias oportuit his qui tãto labore nobis errorũ monumẽta seruarũt.* LAN. *Quin magis utile fuerat, ac laude dignum, si quæ uera, quæ itẽ falsa, apud eos quos citat autores, legerat, summa diligentia ad*

notas

notasset, ac se maturi iudicij præbuisset uirũ. ATH. *Ego uero satius duxerim errores (atq; in medicina præsertim) altissima terra obrui, nedum ut literis mandarentur: quo scilicet in lucem posthac amplius non prodirent: paucis enim datum est albũ nigro interstinguere.* Prosequar igitur *quæ cœperam:* Hunc igitur *uirum hac parte plurimũ* Auicenna *sectatus, errorum omnium iure extitit hæres, quãquam & ipsum non nihil momenti rei familiari adiecisse fatendũ est: nam qui initio pauci ac leuiores fuerant, apud eum incrementum suscepere non paruum.* Quanquàm *omnibus his hoc commune uitium est, genus inquã ouile, amẽs, stultumq; imitari, quarum ubi una aberrarit, omnes sequuntur.* Error *uero, uelut & malorum fama, uires semper acquirit eundo.* Neutiquam *igitur probarim hosce collectores, qui ut libri magnitudine se admirabiles præstent, simulq; tenuissimam quandam gloriã aucupentur, uniuscuiusq; dicta seu uera, seu falsa sint, seu uerosimilia, aut etiã stolidissimis uetulis incredibilia, in suas cõgerunt chartas.* SE. Vide *qua in re eos accuses, & quàm iniuste: an nescis cur ita factũ sit?* LAN. Dic *quæso sapidissime senex, atq; autores tuos aduersus has tuere calũnias.* SE. Dicam, *non'ne medicina experientia inuenta est? quid dicis?* ATH. Neque *hoc equidem gratis concesserim: sed prosequere quæ uis.* SE. Medicis *ergo opus est, uiris expertis credere.* Quocirca *& tuus* Galenus *orbẽ peragrabat, quò scilicet plurimos adiret medicos, atque ab eis experimenta edisceret: non mireris itaque si nostri scriptores, quasi apes, hinc inde flosculos legunt.* Quod *uero dicis multa falsa, plurima etiam parum uerisimilia scribi,*

Auicenna

uide ne ignorantiæ tuæ aſcribendum ſit, qui nec probe experiaris, neque ueritatem ſatis à falſo diſtinguas. Mihi nanque nemo perſuadeat ſcriptores quippiam falſi aſſerere, impium enim foret ac deteſtabile, ubi ſcilicet de uita hominis agitur. Qua in re longe fallimini, quod & aliâs dixi uobis, qui iuuenili furore, & uana quadam gloriæ appetentia moti, nobis uiris expertis aduerſamini: ſenectutem contemnitis, nec non & laudi famæq; noſtræ contra ueritatis ipſius conſcientiam inſidiamini. Spectate canis referta capita, mementote hos uiros, quos nihili pendere cœpiſtis, in Diuæ Mariæ nouæ hoſpitio conſenuiſſe, ac per integros quadraginta annos, medendi artem feliciſſime exercuiſſe: ita enim puto ab hoc ueſtro adeo temerario incœpto deſiſtetis. LAN. *Profecto ſi eiuſmodi aduocatos habeat Auicenna, atque Serapio, cui dubium quin ſibi ex ſentẽtia controuerſiæ omnes ſuccedãt. Audiſtin' quàm argute reſponderit, quam facunde? ſed tu quid ad hæc?* ATH. *Putaram me apud integerrimos iudices, nulliq; partium addictos cauſam dicere: at modo rem longe aliter ſe habere uideo, quo minus mihi uictoriæ ſperandum eſt: uerũ neq; hoc me deterrebit, ipſa præſertim ueritate comite. Quoniã itaq; tu tuam præcipue experientiam extollis: Primum oſtendã nec te, qui adeo experientiam iactas, ne ſemel quidẽ quicquam probè expertũ eſſe. Sed nec tuos, quos ſectaris, autores.* SE. *Ego'ne talia audiam? Mihi hæc dici? Sycophanta: ſinite me abire.* BEN. *Vide ne timori hoc aſcribatur, ſi te ipſum indicta cauſa deſeris.* SE. *Ego ne timeã? qui Menghio Fauẽtino, uiro ſubtiliſſimo, præſertim in logica, ſed et Mazzingho, Ro*

ſato, Petro Leone, adeo magnis uiris ſemper cõuerſatus, timebo modo iuuenem hunc ſophiſtam? uerum me urgent negocia, metuoq́; ne præ ira in furorem uertar, oculosq́; effodiam uenefico. LAN. Ah, quid agis? meminiſtin' Catonem dicentem: Impedit ira animũ, ne poſsis cernere uerum? Itaque omni ſemota ira, patienter auſcultabis nobiſcum, qualiacunque ſint quæ iſte dicit: erimus nanq; protinus temulentiæ huius teſtes optimi: ubi intellexerimus quàm infirmo, atque exili fundamento innitantur. ATH. Ego uero dicere geſtio: nam per Deos immortales, ni per uos iudices uerbis interdicar, atque interim maledictis parcat: ſpero fore ut ſenem hunc, adeo ferocientem, agniculo placidiorem reddam. Tu igitur uelle uideris, unicuiq; qui ſe expertum aſſerat, iniurato quoque credendum: quaſi haud magna res ſit experientia, atque ipſum experiri: uis quoque credi temporis longitudine experientiam gigni, proinde & ætatem iactas, ſenectamq́; extollis, quã alioqui odio habes: utpote quæ haud probe lucri auiditati ſatisfaciat, laboris impatiens. Ego uero ſicuti experientiam multi facio, dummodo commodum expertorem nacta ſit: ita ſi unicuique qui ſe expertum dicat temere credidero, ridiculus profecto habear: ut qui & fori circulatores, & loquaces uetulas, agreſtes quoque ſacerdotes in pretio habeam. Nam ſi quæras, omnes uno uerbo, quæ proponunt, ſe expertos dicent. Ea culpa ueſtri autores non carent. De his loquor, quos perinde ac Deos ueneramini, Auicẽna, Meſue, Raſe, Serapione, Nicolo, qui ridicula quæq; ſcripſere ſiqua uel legerant, uel audierant: quod & paulo ante dicebamus. An neſcis quàm ſit propẽ

ſa ad mēdacium hominis lingua? quamtum'ue unuſquiſq; ſua magnificare ſoleat? Noſti proculdubio, atq; hæc oĩa optime calles: ut qui tot annis in ea republica uerſatus ſis, hisq; artibus & pecunias, et agros, nobiliũ item acceſſus tibi comparaueris. Quòd ſi ſubinde diſcas (neq; enim adhuc ſatis ſcire uideris) quantā ſibi expoſcat experiētia, nunquàm aliâs ita temere quippiam uelut expertum prædicabis, neu ſola ætate expertũ fieri hominē ita facile credes. O' quàm cordatum, ac perſpicacem eſſe oportet uirum, quē probe expertum confidas. Primum enim quid à quo fiat aduertere oportet, atq; unũquodq; in ſuam deduxiſſe cauſam exactiſsime, quod quidē uobis factu impoßibile puto. SE. Quãobrem? an'ne ullus eſt qui hoc neſciat? nēpe per ea remedia ortam ſanitatē, quibus circa ægri corpus, probe uſus eſt medicus. ATH. At quonam pacto id uos ſcire poteſtis, à quo ſcilicet primũ ſanitas orta ſit, qui remediorũ magnum aceruũ, potionũ ſcilicet, perfuſionũ, cataplaſmatum, unguentorum, unà miſeris offertis ægris, ſed & tunc magni uſus medicos uos eſſe cēſetis, quoties ſemper aliquid moliri uidemini, præſertim apud diuites, qui & pretioſa, & multa ſibi parari auxilia expoſcunt. Inde accidit quod & Galenus ſua tēpeſtate deflet, peius curari diuites q̃ pauperes, nõ alia ex cauſa, quàm quia remediorũ multitudine fatiſcit æger, atq; alterũ alteri impedimēto eſt. Adde quod inde accidit eorum quippiã exiſtimari ſanitatis cauſam eſſe: quod tamē oĩno ex accidenti eã produxit. Neq; enim uerisimile eſt hoſce qui talia agũt ſatis noſſe, quid per ſe, quid caſu fiat. Nã empiricorũ more ad noua ſubinde auxilia ſe uertunt, cuius rei ſi ab eis ra-

tionem

tionē quæras, uel cur ea dimiſerint, uel cur hæc aſciuerint, nullā reperies, præterquàm incōſtantem quendam mentis motū, qui plurimū ignorātes omnes inſequi ſolet: ut qui nullam methodum, nullas indicationes ſibi propoſuerint. Hæc ſunt igitur uiri optimi quibus moti pauloante dicebamus, longū eſſe, ac difficile, nec unicuiq; paſsim cōmittendum, ipſum experiri. Difficile inquam, quoniam quid per ſe fiat, quid ex accidenti, difficile eſt internoſcere, & ſi rite omnia feceris. Quāto magis uobis, qui hiſce criminibus obnoxij eſtis, quorum paulo ante meminimus? Longum uero, quoniam amplius expoſcit tempus, & ætatis, & regionum, & diuerſitatis eius quæ ex ſexu, & corporis habitu rationē habere. SE. Ego uero haud ſatis ſcio cui hæc dicas. An putas nos ignorare, hæc oīa ad rectā firmamq; experientiā neceſſaria eſſe? ATH. Neq; igitur amplius uniuſcuiuſq; experimenta nobis ſumenda ſuadebis, neque ætatis longitudine fieri expertum hominem, dices: quando nec tu, nec ueſtrum aliquis, qui ætatem iactatis, ſatis experientiam aſſequuti eſtis. Quod cum ea quæ hactenus dicta ſunt liquido monſtrant, tum quæ mox dicenda. Num expertum uirū, & qui rationē ducē ſequatur ſed & recta methodo oīa faciat, putas fieri poſſe, ut unico calceo omnes calceet, nulla habita, uel corporis habitus, uel uiriū, uel morbi magnitudinis, differētia: quod & tu nullo pacto tueri potes. Exactam enim illam potionū, quos ſirupos uocāt, menſuram, unicuiq; eandem ſufficere arbitramini. SE. Quid mihi hoc, dummodo ſanitatē hac uia ſequi uideā? hoc enim unicuiq; artifici ſufficit, ut finē aſſequatur. ATH. Vide quàm longe decipiamini, unà &

Experiētia ætate non comparatur.

omnes qui his uerbis à uobis seduci solent, dum talia apud eos prædicatis. Multos iam per annos hãc artem hac methodo duce, & quidẽ felicissime exercuimus: Nullã ergo rationẽ gestorũ inquirẽdam. Sed huic soli insistendũ censes? hoc enim unicũ est uestri refugiũ, quo disputationem omnem absoluitis. Non'ne uides uos adeo doctos uiros, adeo generosa ingenia, empiricos fieri? Cũ nullam quæritis causam, cur hoc ita acciderit. Atque utinam & empiricam calleretis optime: liceret enim & ea uia plurimos sanare. Sed uos uestrum Mesuem, atque Auicẽnam sectati, illimitata quadam, ac ridicula experientia duce, cũcta peragitis: attamen experientiam elato supercilio, & magnificis uerbis uulgò iactatis. Verum ut adhuc amplius cauillamentis uestris satisfaciam: mihi accepisse oportet, plurimas ægritudines salubres esse, atque omnino ui naturæ posse superari. Num igitur si sanari repente contingat hominem, creditis uos superstitiosis uestris potionibus, in quibus uix uel dragmæ millesiman succi alicuius, aut decocti reperies, hominem persanasse? Adde insulsissima inuenta cordialium, quas uocant, medicinarum, in quibus & ceruini cordis basim osseam laudãt mirifice: at nescio, cur non & bouis, habent enim eam ueluti cordis substentaculum quoddam, magna ex animalibus omnia. Huius ordinis sunt Spodiũ dictum (quanquàm haud quaquã spodio simile sit) sericea stamina, margaritæ, insipidæ quedã, atq; inodoræ radices (been uocant) gemmarum fragmenta, atq; aurum ipsum. Quin & siquid unquã delirũ somniauit uulgus lætitiã parere, id omne in suã congerũt cõpositionẽ, eaq; se putãt uitales spiritus reficere, ac semimortuos

Cordialia.

mortuos homines sanitati restituere. O' ridicula capita, ò hominum seductores, quis unquam hoc, aut qua uia experiri potuit? Aut quẽ unquam ex ueteribus qui nobis medicinam pepererunt, cordialium medicinarum meminisse legisti? Quòd si Dioscorides buglossum lætitiam parere dicat: hoc tamen ex alieno ore qualia multa scribere solet, non autem ex sentẽtia asserit. Quid si iterũ monstrauero tantũ abesse ut uestro opere parta sit sanitas, quin potius uos naturæ impedimẽto esse permaximo? Quã rem prius experientia monstrare uolo, dehinc & rationibus: postquam tu quoq; ab experientia maxime orsus es. Non'ne uidimus nos media coctione dato pharmaco, aut periisse ægrum uestra opera, aut in longius tempus protractam ægritudinem? Quanta incommoda uestris purgationibus pariatis, nemo est qui nesciat, dummodo ægritudinũ uim atq; indolem probe norit, quanta'ue natura minime impedita præstare poßit. Sunt autem impedimenta hæc, tum intempestiua purgatio, tum & uictus modi. Adde & potionum usum, & Epithematum, Cataplasmatum quoq;, quibus præcordia aßidue læditis. Cæteraq; multa, quorũ siquando otium dabitur, abunde mentio fiet. Quo fit ut uestras, quas modo iactabatis, sanitates, imbecilles quidẽ, aut tardas, aut tædiosas exigatis. Fit iterum eadem ratione, ut uobis ex uestra ignorantia lucrum accedat. Demũ, hinc factum est, ut miseri ciues non aliter ac Cerberum, Scyllam'ue, & cũ Cyclope Charybdim, uestras manus effugerent: sed & cuiuis obuio potius salutem suã committerent. Neq; id immerito, ut quibus satius fuerat naturæ ac fortunæ cuncta dimittere. Iactabat Archiater iste

hominum numerum, quos in ægrorum hoſpitio, cui diuæ Mariæ nouæ titulus eſt, occidit: non parua miniſtrorum, rectorisq́; lætitia: qui hoſce medicos merito multifaciunt: nam qui plurimos atq; eos celerrime enecent: quo minimum damni rei familiari, accedat: quo iterum in demortui locum miſer ſuccedat alter, neſcius ſe mortem, nō ſalutem efflagitare. Age uideamus quàm grandem inde aſſequantur experientiā uiri tantopere experiētiæ ſtudioſi. Audi, quid ſurgis? auſculta paucis: num ueritas tibi odio eſt? LAN. *Perge obſecro: nam poſthac uel inuitus quoq; perſtabit.* SE. *Ego'ne inuitus quæ nolim audiam? adeo turpiter famā meam tractari? tot cōtumelijs iniuſte peti? ſinite me odioſum hunc mihi hominem fugere.* BE. *Noua nobis profecto narrat, ac præter omnium credulitatē: ut qui in tanto honore hactenus, nobiliſsimas, ac pientiſsimas illas ædes habuerimus.* SE. *Imo & præter ueritatē: cui dubiū?* LAN. *Audi igitur quid nouus iſte nūtius ſecum ferat.* SE. *Nam quid boni adeo maledica atq; inuida turba uobis afferre pōt?* ATH. *Num mihi adhuc licet proloqui?* BEN. *licet, ubi uis.* ATH. *Pergā igitur, atq; à Dietetice ordiar, ut quæ ſanationis totius fulcimentum ſit, hanc omnibus ægris uel unam eandemq́; ſtatuunt, uel parum diſtantem, ſeu morbi magnitudine differāt, aut ſpecie, aut incremento. Corpora item uel ætate uel habitu ſeu temperamento diuerſa ſint. Quum enim & ciborum tum quantitatem exactam, tum qualitatē, itidem & potionū ſibi debita uictus ratio expoſcat, inſuper & opportunū tēpus, tantū abeſt ut horū quippiā uel ſaltē in mentē ueniat, ut potius unicuiq; eadē ciborū, ac potionum ſeries, eadē item hora ſufficiat.*

Dietetice

ſufficiat. Neſcio ego quomodo quiſpiam medicamentum cõmode ſe poſſe experiri credat, ni ægrũ & aſtãtes, ſibi obſequẽtes habeat, qđ annotauit Hippocrates. Plus enim mali indebito uictus ordine committent, q̃ tu tuis auxilijs boni. Nam quæ auxilia Dij immortales? pudet me, pudet optimi ciues ea referre, profecto ſi miſeræ plebeculæ nota forent, medici unà & medicorũ miniſtri lapidibus obrue=rẽtur: uel enim inſcite cõpoſita, uel ex ea materia quæ nullarum uiriũ ſit, ſeu quòd intẽpeſtiue adminiſtrata. Noui equidẽ dum me potiundæ experiẽtiæ ſpes uana illuc de=duxiſſet, talẽ medendi formulã ibi aduertere: ut qui ægris præfectus erat, uel me quoq; tacẽte, unicuiq; ſua medica=mẽta proponeret, huic inquiẽs minoratiuã, huic acetoſum ſirupum, cũ aquis bugloßi & endiuie, huic eradicatiuam, huic electuaria exhibeto. Neq; ego præter hæc quicquã mußitare audebam: ita enim & purpuratos aurẽisq; fim=brijs decoros ſenes ſe gerere uidebã. Tantũ itaq; abfuit, ut diligẽtius ſingula obſeruãdo quicquã proficerem, quin potius & ad medicatricem artem, & ad dignoſcitricem omnino in dies deterius me haberem: non alia ex cauſa, quàm quia, ut Galenus docuit, caſus omnes, qui ægro ac=cedunt, prognoſticationem euariant, quando & ægri ſtatum. Quæ uero importune de Galeno adieciſti, mundum inquã peragraſſe, ut ab unoquoq; experimenta ediſceret, ne quidẽ ſatis adhuc mõſtrãt propoſitũ. Primũ enim ſcias nõ cuiuſuis (ut tui autores faciũt) medicamẽta ſibi paßim accepiſſe Galenũ, uerũ ſelectiorũ hominum, quosq; ſcie=bat iure expertos exiſtimari poſſe. En modum quo Gale=nus experientiæ plurimũ ſibi adeptus eſt, ſimpliciũ nanq; notitiam

notitiam ſenſu & ratiocinio commentus eſt: at compoſita deinde duce methodo aliqua ſemper inſtituit. Cuius rei exempla quædam ſubijci poſſunt. Siue enim celebre illud Diacarion ſpectes, cuius in libro de medicamẽtis ſecũdum particulas meminit, nuces moris præſtare partiũ tenuitate uidit, quoniam alte earum penetraret ſuccus. hoc autem ipſum ex infectura nouit. Siue iterum ſarcoticon medicamentum conſideres, quod in Therapeuticis libris methodo quadam inuenire docet, quid nam aliud quàm moderate ſiccans inuenire docuit, quando uehementius quàm par erat ſiccãti, humidũ oleũ adiecit. Eadem methodus & ad diaeuphorbij confecturam ipſum perduxit. Porrò ſiqua ſola experiẽtia poterãt inueniri, qualia ſunt quæ ex his cõſtant, quæ ſenſus aut ratio nõ attingit, ut quod medicamentũ hoc bilem: hoc uero pituitã purget: uiperinas item carnes elephanticis mederi, atq; eiuſmodi multa. Ea quidẽ accurate prius excogitata, tum ſibi, tum amicorum probatiſsimis experiunda tradebat: nec prius ea experta affirmabat, quàm modis omnibus probaſſet. Huic itaq; atq; huiuſcemodi uiris (ſiqui ſunt) indubitata fides habẽda eſt, nõ tibi, non item tuis. SE. *Non'ne putas & me quoq; hac uia experientiam adipiſci poſſe? Sed non'ne & Auicenna potuit?* ATH. *De te quidem aliàs erit ſermo: De Auicenna uero pauca reſpõdebo. Ipſum enim miror, quo pacto quippiam probe experiri potuerit: quum primùm ſimplicium medicamẽtorum naturã, uiresq́; penitus ignorarit, ſed & pluries in medendi inſtitutis aberret: quam rem longiori oratione monſtraſſem, ni temporis anguſtia me moneret, ut huiuſmodi labor in aliud differatur tẽpus.*

Auic.

Quanquam

Quanquam breui fore ſpero, ut ex noſtra Academia de Auicennæ erratis iuſta uolumina prodeant. SE. *Ego uero neutiquam ſatis honori duco aduerſum te loqui. Non decrunt tamen & quos tibi opponam, ætate quidem pares, uerum ſcientia atq; experientia longe præſtantes, hi te ilico piſcibus mutum magis reddēt.* ATH. *At ego te prius homuncium reddam, qui modo experientiam iactabas, atq; autorum magnifica nomina. Iam uero uideris haud ſatis eos poſſe defendere.* SE. *Poſſem ſine dubio, ni negociorū multitudine premerer: tu uero ocioſus homo, tota die huiuſmodi nugis, impune uacare potes.* LAN. *Tu'ne igitur dicis Athanaſi Auicennam medicæ materiæ ignarum?* ATH. *Imò nec reliquarum medicinæ partium ſatis peritum: pluresq́; necaſſe hūc hominem ſuis monumentis aio, quàm tot tantisq́; prælij Cæſarē aut Hannibalem.* LAN. *Tu uero negas?* SE. *At ego nego, nihilq́; Auicennam à Galeno diſtare aſſero: fuit huius uiri ſcriptorum interpres, ac ſtudioſiſsimus ſectator.* LAN. *Vbi igitur conſedimus, ſcitu dignum uidetur, quis nam ueſtrum in errore ſit. Tu itaq; quo breuius potes, hæc quæ dixti modo, uera eſſe comprobato.* ATH. *Satis iam antea ab hoc capeſſendo onere me excuſaram. Sed poſtquam hæc audijſſe uobis gratum eſſe conſpicio, ne fortè ſi hæc ſilentio prætercam, maledicentiæ interim ſubeam notam, quæ poſcitis exequar. Non quidem quòd dicato opere Auicennam inſectari uelim, ſed in unoquoq; ſcribendi genere, atque in qualibet medicinæ parte paucula quædam, ac ueluti in tranſcurſu annotabo, pro temporis ſcilicet ratione. Vos uero aliàs plurima, & ea quidem maiora expectetis. Parcendum*

cendum puto Auicennæ, cum ipse (ut à medica materia ordiamur) ex confesso quædam sibi ignota esse fatetur. Quanquam non paruam inde quoq; subeat ignominiæ notam: neq; enim decuit lignarium fabrum aut serram, aut asciam ignorasse. Verum quid ad ea dicemus, nempe ubi aliter credit, quàm res ipsa se habeat? SE. Nimis profectò, atq; ad sacietatem lõgus hic sermo est: quis nam igitur eum usq; in finem audire queat? BEN. Ah turpe esset præceptorem tuum, atq; uniuersæ (ut ais) medicinæ principem in tanto discrimine destituere. Potius itaq; patienter auscultato, atq; argute respondeto. SE. Dummodo eum ignorantem nõ dicat. BEN. Dummodo & tu ab ignorantiæ nota eum defendas. Perge itaque. ATH. Scire primum uelim, an turpe ducas Auicennã Cysthum Hederæ speciẽ ponere. Sed & quod peius est, sibi acres uires ascribere, ac Ladano præsertim, quod & ora uenarũ reserare dicit. Plurimus enim & in historia & medicina hic latet error. Nam neque Cysthus ulla Hederæ species est: nec Ladanum eas uires habet. Porrò unde nam hic error originem duxerit, ac quo nam modo ex Serapione ortum habuerit, longum esset modo enarrare. At de Hippocistide quid dicam, nobilem inquam, & magni usus plantam, ignorari, quamq; mille suis compositionibus miscuerat, eam tamen ad hircinæ barbæ caput transferri. Non adeo distantes naturas miscuit Auicenna, cum Cyclaminum alteram, struthio confundit: attamen oportuit medicum hominem hæc discreuisse. Dicebamus de Centaurio pauloante aduersus Serapionem. In eo capite non minus Auicenna errauit: ubi neque eorum naturas, nec

Errata Auicennæ

Centaurium

historias

historias seiungit. Cum tamen sola nominis communitate affinia sint, Centauria duo. Profecto non leui hominum periculo, siquis utroq; absque differentia ad cruentos screatus (quod maioris proprium est, utpote astringentis admodum) utatur: quod tamen neotericos quosdã medicos fecisse audio, qui Auicennæ autoritate freti, longam quandam cõpositionem ex minore Centaurio inuenere, qua scilicet ad cruenta sputa utantur. Sed & non parum ridendo errore siquis ad ducendam aluum maius exhibeat, quod Serapio & Auicenna nos docent: hoc enim tantum abest ut uentrem soluat, ut potius astringat. Inter ea quæ medico usui sunt, haud tenent postremum locum Pulegium, Nepeta, Origanum, Hyssopus, Thymus, utpote sine quibus uix febres, cruditates, destillationes, flatus, malos habitus, uuluæ strangulationes, menses suppressos sanes. Horum tamen nullum Auicennæ notum extitisse, uerba eius monstrant. LAN. Num hæc ignota obsecro? Atqui non erant hæc ex India expetẽda. ATH. Qui Nepetam & Origanũ pro eodem habet, atq; Origani species Nepetæ tribuit, proculdubio utrunq; ignorat. Quis iterum Pulegium cum Diptamno omnino sciens immisceat? aut Hyssopum Thymumq;? quod tamen Auicenna facit. Quis credat Lentisci ac Masticbes naturã tanto medico ignotam esse? neq; enim arborẽ Mastichem ferentẽ esse Lentiscũ nouit. Sed & Lẽtisco acres & attractorias tribuit uires. Quare & in historia & medicina peccat. Lõgum esset plura addere, quoties scilicet nominis similitudine deceptus, quoties affinitate naturæ ea quæ unius propria sunt, alteri tribuit. Quoties iterum

ex no

ex nominum uarietate, quæ aliquando pro hominum arbitrio uni atq; eidem imponi solent, bis eiusdem absque præfatione meminerit. Quoniam itaq; plurima ante nos tum uir doctissimus Leonicenus, *& disertissimus* Manardus *deprehenderunt, non est cur in hac materia tempus teramus.* Hoc *unum postremo dixisse sufficit, haberi satis & ex secūdo sui uasti canonis libro, & ex eo ubi de compositis agit,* Auicennam *nullo modo medicum extitisse.* LAN. *Quid igitur in reliquis medicinæ partibus, num melius se habet?* SE. *À primis studiorum meorum annis, sæpius audiui præceptores nostros dicere,* Auicennam *non satis peritum herbarum fuisse.* Nil *tamen prohibet adhuc optimum medicum dici.* Nam *& ego, & multi insuper ex laudatissimis medicis, ferè nullā nouimus. Sed huius inquisitionis onus nostris ministris iniūgimus.* BEN. *Tu'ne igitur, qui te modo acerrimum tuarum partium defensorem pollicebaris, iam manus dare, ac te uictum fateri cogeris? Absit* Dij *boni ut tanta ignorantia, principē medicorum habeat, uosq́;, quos proculdubio omni inter primates medicos semper habui.* Mihi *nanq; neq; ipse* Apollo *persuadeat, bonum esse artificē, qui sua instrumenta ignoret.* ATH. *Quin & qui talia fatetur iam dimidiam eius libri diruit partem: nam & simplicium tractatum, & compositorum seu secundum genus sint, seu ad singula capita obliteranda censet, quare & nos multo lectionis onere leuabit.* Porrò *quod isti dicūt: curam hanc seplasiarijs dimittēdam: quā rationabile sit, uosmet iudicate.* LAN. Ego *uero potius æger uiuā, quā ut me seplasiarijs, aut rusticæ plebi temere committam.* ATH. Age *uideamus modo, num*

in reli

in reliquis medicinæ partibus palmam mereatur, ubi ab aduersarijs hoc nobis gratis conceditur. Qui itaq; laudes Auicennæ extollunt, ac pro ipsius principatu decertant, hæc ferme sibi tribuere solent: diligentem tum causarum, tum signorū inquisitionē, abundantē quoq; narrationē, sed & postremò ordinatißimā scribēdi rationē. In quibus omnibus quàm lōge deuiēt, hinc uidere licet. Primū enim diligentē hūc uestigatorē quis laudet, qui simul Lolium, *Auenā,* Tragum, Orizam, Triticū, *magno labore colligat: aut quis eā abūdantiā desideret, qua utilia inutilibus, innoxijs noxia immisceātur? atq; ut ad rē ipsam propius accedamus, nihilo nos abūdātiores reddidit* Auicēna, *dū signa morborū, sciētifica ac demōstratiua, his īmiscet, quæ raro atq; ex accidēti, contingūt: uidetur nāq; hoc potius ignorantiā ac mētis cōfusionē quandā parere posse, quàm artificialē coniecturā, & quæ certitudini plurimū prope sit, apud eos præsertim, qui minus felici ingenio natura extiterint. Porrò reliquis non nisi tædiū, dū signa illa necessaria, siqua forte fortuna adiecerit, mille alijs immersa cōtingentibus sibi asciuisse uolūt. Cæterum ea signa quæ cōsiderāda, seu pro morbi ipsius, seu loci affecti agnitione scribit, quā nobis certitudinē afferant, indicio sunt ea uerba, quibus paßim utitur, dum ea recenset.* Et *fortasse (inquit) hoc apparebit, fortasse illud.* Verba *etenim* Fortaßis, *&* Quandoq; *dubietatē quandā & raritatē denotare solēt. Quanto rectius, quanto utilius hic, qui ea quæ necessario accidūt nō temere, quæq; ex propria rei substantia ortum habent enumerat, reliqua omnia dimittit: quam rem omniū bonorum nobis autor* Galenus *optime*

eo libro exequutus est, quem de affectorum locorum noticia scripsit. In quo nil mirum, si notas quæ probum constituunt artificem, breui numero perstrinxit: quæ etenim propria sunt atq; essentialia, pauca sunt. De causis uero quid dicam? neq; enim in causarũ censu melius se habet. Legimus enim quãdoq; apud ipsum tot unius morbi causas, ut difficile sit inuenisse, quæ nam modo hominem habeat. Adeo insuper accidẽtales, adeo raras, adeo remotas, ut medico ea enumerasse nullo usui sit, imò dãno potius, dum ipsum à uera inquisitione auertunt, ac per imaginaria quædam, & quæ uix mille seclis semel eueniãt, uagari cogunt. Hinc accidit, ut siqui eũ studiose sectantur, tanta & tam impertinenti causarũ multitudine uicti, sæpius coguntur dicere, Auicennã pleraq; ex his quæ de notis causisq; scripsit, ad poßibile referre, non ad id quod aliquando cõtingat: multa quoq; imaginaria quadã coniectura dicta, cuius defensionis puderet ipsummet Auicennam puto: proinde illam sibi habeant doctrinæ abundantiam, nosq; in Galenica illa inopia derelinquãt. An non uidẽt, Dij boni, quanti referat uera falsis, necessaria contingentibus, demõstratiua dialecticis immiscere? Tempus est ut ad medendi instituta me conuertam: quæ res adeo ampla est, ut à quo initium capiam, nesciam. Nam si uniuersalia documenta spectes: quæ scilicet libro primo cõplexus est, nemo est qui legens risum contineat, uidens illam adeo inordinatam canonum turbam, ut neutiquam duos sibi ordine subsequentes cõperias: atq; hunc adeo seuerum scriptorem, grilli instar subsultim modo hoc, modo illud attingere, prout sors tulerat, ut ab eo quem præ manibus eo

tẽpore

tempore habebat ſcriptore, legeret, atq; exſcriptu dignũ cenſeret. Atqui hoc parum fuerat, ni Therapeuticen totam, eo libro deturpaſſet, dũ Galeni uerba exſcripta quidem mendoſe in mediũ affert: num quæ Galenus in propoſito quopiã caſu monet, ipſe uelut uniuerſale Theorema aſſumit? Adde his & nullas ratiocinationes dictis adhibere, uerum imperatorum aut legislatorum ritu ſingula proponere. Non ita Galenus, qui ſemper propoſitis ſcopis, reſolutiua methodo cuncta inuenit. Nã de ſuis (caue) quid dicam? quibus medicum adeo timidum, adeo nullius precij reddit, ut non tyronem modo deterreat, ſed antiquos quoq; medicos, ab opere deſiſtere cogat. BEN. Cogitabam modo unde nam hoc acciderit, ut qui ſe Galenum ſectari fateatur, ac mera ipſius uerba ordine quodam digerere, ab ipſo tamen Galeno longe deuiet: neq; enim credendũ eſt, hunc adeo rudẽ extitiſſe, ut quæ ſemel legerat, neſciat deinde parum mutatis uerbis, incorrupto ſeruato ſenſu autoris, propoſito accõmodare. ATH. Rem longam quæris Hieronyme, quæq; maius ocium expoſceret: prout tamen potero tibi ſatisfaciam. Hoc igitur primum te ſcire uelim (quod & antea leuiter tetigimus) nil effatu dignum ſibi commentos Arabes, uerum ad Græcos ſcriptores unà confugiſſe, quanquam aliquando præ inuidia diſsimulẽt. Indicio eſt ille, multis ſeculis immerito laudatus Auerroës, qui ſi quãdo à Themiſtio aut Alexandro deuiat, in aniles truditur fabulas. Deuiat autẽ ſæpius, ſeu quia eorum libros minime integros, uerum mutilos, lacerosq; apud ſe habebat: Seu quia tam grandi linguarum diſtantia (nempe quantum mundi delitiæ ab extrema

barbarie distant) difficile erat inuenisse, qui utranq; optime calleret: hinc errorum cumulus ortus est, non modo in rebus physicis, uerũ & in medicina, ut ad propositũ reuertamur. Quis unquam Galeni libros qui ex ea lingua petebantur quondam, dum adhuc media luce cæcutirent homines, Galeni esse agnoscat? nullus inquã. Adeo nanq; deprauatos sensus, adeo corruptas demonstrationes reperiet: insuper & tot, tantisq; additamentis referta uolumina cernet, ut secum miretur, cur tantopere Galeno tribuant homines. Afferebat non minora studijs incommoda uoluminũ prolixitas, priusquam uidelicet typis cudi cœpissent. Hinc enim factum est, ut dum ille Enchiridiõ sibi parat, ille collectaneos libellos, nobis Galeni nomine mutila quædam, atq; amethodica irreperent. Huiusmodi erat de tuenda ualetudine liber, huiusmodi & qui de medicamentis secũdum genus: sed & de facile parabilibus, multiq; alij quos longũ esset enarrare. Nil mirũ igitur si talia Auicennæ contigere, ut qui non ex proprio fonte aquas hauriret, sed alienis erratis pasceretur. Cæterũ nobis huiuscemodi errores omnes hæreditario contigere. Dũ enim eos qui ueri autores nõ sunt (nescio ego qua Deorum ira compulsi) perinde atq; apes fucos sectamur, omnia literarum bonarum primordia periere, atq; in primis medicina quæ adeo inhonesta facie, adeo lacera ueste ac deprauata, limina ipsa ingredienti occurrebat: ut nobilia omnia ingenia deterreret, ut quibus nulla spes reliqua foret, boni quippiam in adeo turpi corpore reperire. Inde etiam contigit, ut qui eorum, quos modo retuli, doctrinã sectati sunt (quales hi sunt quos medicos uulgus uocat) cum in

medico opere parum ad uota euentus ſubſequi uiderent, generoſa omnia remedia penitus omiſerint, à quibus ſcilicet uitæ periculũ imminet, ni probe utaris: at recta utẽdi uia neutiquam habebatur. Inde cõtigit, ut magni morbi, quales epilepſia, articulorũ dolores, emicranea, aſthma, melãcholia, atq; aliæ multæ difficiles ægritudines, omninò inſanabiles linquerentur: neq; id iniuria, ut quarũ uiribus æqua remedia ne attingerent quidẽ. Porrò ad alia uerſi, nil aliud ſtuduerunt totis ingenij uiribus, quàm ut ex ea arte ſibi opes quærerent, idq́; citra infamiam omnẽ: quòd optime ſibi factum credunt, dum nulla pericula ſubeant. Itaq; ſi uenæ ſectionẽ egere uideatur æger, theſaurũ naturæ ſanguinem eſſe aiunt: idcirco aut omnino dimittendum huiuſmodi auxilium eſſe, aut parce mittẽdum ſanguinem: his uerbis adeo homines perterrefaciũt, ut uel quodlibet prius pati uelint, quàm ſibi ſanguinẽ mitti. SE. An tu negas ſanguinẽ theſaurum eſſe? ATH. Haud equidem nego: uerũ & theſaurũ expendiſſe quandoq; haud malũ eſt, dũ uitã redimas. Si iterũ tenui uictu utendum, ſeruare uires integras oportere aiunt: huic quẽ pugnare opus ſit. Has artes ſtudioſe colunt ueſtri medici, has & ſibi per manus tradunt, quo ſcilicet probe tueri norint, ſe & nil temere tẽtaſſe, nihilq́; opportunum dimiſiſſe. SE. Neſcio ego quid dicas: nos etenim millies ſanguinẽ miſimus. Sed & dietam inſtituimus tenuẽ ubi oporteat, nã & ptiſanã multoties ægris damus, hæc cũ tu noris, miror quo pacto nos in eiuſmodi re criminari audeas. ATH. Ah quàm turpe eſt ſolo remedij nomine contentos eſſe uiros, quorum ſtudiũ eſt rerum naturas cõtemplari. An qui guttã fluere

Magni morbi.

not. q̄ medicos nre tẽpestatis

ſinit, ſanguinem mittit? num qui poſt gallinaceos contuſos aut eliquatos ptiſanam quoq; exhibet, acutorũ dieteticen ſeruat? minime gentium. SE. Tu'ne igitur tandem uis nos artem medicam docere? ATH. Ego equidẽ te docere nolo: nec ſpero fieri poſſe, ut qui tot annis aſſueueris, ingenium modò commutes tuum, uerum illud potius lubens monſtrarim, ex uobis nullum qui in hac opulentiſſima urbe, ex ea arte lucramini, aut medicum dici poſſe, aut medicorũ ſatis noſſe auxilia. Sed nec ſiqua norit his probe uti. Neq; enim clyſmate, nec pharmaco, nec uenæ ſectione, neq; demum dieta, aut ſcite, aut tẽpeſtiue utimini. Quod & ego ilico paucis expediam. SE. Mihi quidem haud expedies: potius pumice aridior tibi lingua euadat: uobisq́;, qui cum attente auſcultatis, aures obſurdeſcant. LAN. O quãtis nos impetit execrationibus rabidus ſenex, ò incorrigibilẽ ætatẽ, cui non niſi ea quibus aſſueuit ſapiant. Abeat igitur in malam crucẽ, nobis nanq; potius oneri erat: uolui tamẽ audiſſe Hyeronymũ, hos adeo præclaros uiros, adeo generoſa ingenia, furtim quidẽ exclamare, ac ſuas oſtentare uirtutes. Cum uero ad manus uentum eſt, pugnam detrectare, neq; enim aliena improbare ſciunt, nec propria item tueri. BE. Abſit Landine, ut me audias amplius ſenibus fauere: quin ero potius poſthac ueſtrarum partium acerrimus propugnator. Cæterum ubi uobis ocium eſt, gratiſſimũ mihi erit (nec minus puto & Landino) ſi rem omnẽ breui ſermone perſtringas. Qualia nam ueſtra hæc hæreſis ſibi expoſcat, quibus'ue in rebus ab his quos medico nomine minus dignaris, diſcrepet: quibus demum innixi autoribus hæc noſtris noua ſe-

culis

culis proponatis. Ita enim ſatur domum redibo, ni forte & tu negocioſus ſis: haud enim te inuitum detinere uelim. ATH. Irrides? quaſi ego huius inſtar negociorum uana quadam ac mendaci oſtentatione abutar, ubi potius trophæa atq; expugnatos morbos oſtentare par erat. Atqui noui ego quàm falſò pauloante dixerit triginta ſibi uiſendos ægros: ni & neutros, & conualeſcentes, & ſanos quoq;, qui quondam ægrotarunt, unà numeret. His enim mos eſt uſq; ad faſtidium uiſere homines, nec niſi contumelijs pulſis diſcedere: tanta poteſt auri fames. Ego uero me & ad ueſperam ſi libeat ocioſum præbeo, neq; inhoneſtum ocium arbitror, ſi uobis ſatisfaciam: quibus merito concedendum, ut quæ hactenus cudimus audiatis: ſimulq; de his iuſtum feratis iudicium. Quum uero permulta mihi capita occurrant à uenæ ſectione initium ſumam: Venæ ſectio. quæ quòd maximum auxiliorum ſit, non modo Galenus teſtatur, quum & prõptiſsimi, & tutiſsimi & celerrimi, tribus adeo magnis laudibus, extollat: Sed & nos quoq; ubi ab alto ſomno ſurreximus, ſatis experti ſumus. Quod enim maximis auxiliatur morbis, id maximum eſſe fatendum eſt, at ſeu interna inflammatio hominem habeat, aut heriſipelas, aut ardens febris, nullum hoc maius inuenies remedium. Venæ igitur ſectionem aut penitus, aut magna ex parte dimiſerunt: quod ſi qui ea uſi ſunt, inſcitè admodum, atque intempeſtiue omnia agentes ipſius famã deturparunt. Porro quàm belle in eiuſmodi auxilio ſe gerant, modò ego aperiam: ubi ſcilicet mõſtrauero neq; eos ſatis noſſe, in quibus morbis ſanguinem mittere expediat, ſed neq; quantum ſanguinis miſiſſe oporteat, neq; iterum

qua hora id maxime faciundum sit, nec postremo qua uia. LAN. *Magna polliceris.* ATH. *Res ipsa indicabit. Quod enim primum in quibus morbis sanguinem mittere oporteat, ignorent hinc disces, quod ubi morbus magnus sit, febriq; ardeat animans, ni lotij crassitudinem una & ruborem cernant, omnino à sanguinis missione abhorrent. Cæterũ hoc unico defraudati præsidio ægri, uel cito ad necem ducũtur, uel si forte fortuna naturæ nixu saluantur, in longas tandem & eo quidem difficiles transeunt ægritudines, quartanam scilicet, duros lienes, lepram, malum habitum, aquam intercutem, atq; huiusmodi multa. Nam quòd per criticũ motum nõ sanet natura, aut raro, ipsi causa existunt, ut mox dicemus. An est uestrũ quispiã qui his attestari nesciat? quiq; pluries miseros ciues nõ uiderit, ubi tandem Dijs iuuantibus domo egressi, optatam uidere lucem, infelix tamen cadauer miseramq; animã trahere plurimo tempore: proinde & cælestium numinum conqueri: quum tamen semet potius incusare debuissent, ac sibijpsis irasci, ut qui adeo deploratis hominibus uitam crediderint.* LAN. *Scire igitur uelim quî factũ sit, ut adeo timidi in sanguine mittendo euaserint: quæ nam ratio, que'ue experientia eos formidolosos reddiderit.* ATH. *Dicam, ubi paulo altius erroris tum huius, tum reliquorum explicabo causas. Hæc nanq; omnia ex uno eodemq; principio contigere. Hoc autem est unicuiq; scriptori absq; ratione credidisse: quod & paulo ante aduersus senem medicum stomachabar. Si nanq; aut Auicennæ, aut Serapionis, cæterorum'ue, quos colũt, dicta pensitassent, probè item inuestigassent, unde nam ea acceperant, minus*

multo

multo errassent. Siue enim ea falsa erant, ratio & experiẽtia aperit commonefacitq́;. Si perperam in libros suos digesta, ex Hippocratis, *Galeni, Pauli, Dioscoridis collatione, fuerant corrigenda.* Porrò *quantum detrimẽti res hæc bonis literis attulerit, satis noster* Giachinus *monstrauit, in eo commentariolo, quod* Petro Francisco *medico dicauit.* Hi *itaq; cum audissent dicentem* Auicennã*: intuere in urinali, & si fuerit urina rubea grossa, uenã secato: nec rationem addi, neq; insuper iuramento confirmari petiere. Sed temere his credentes, in tantas lapsi sunt tenebras, ut plura ad mittendum sanguinem conuenire oportere, plura pensitari, quàm siquis longam atq; eò difficilem nauigationẽ, pararet.* Adde *& ea quæ pauloante ad Auicennam diximus, quibus medicum torpentem reddiderat: hæc inquam omnia timiditatis huius causas esse scias. Cæterum ne sæpius ad mittendum sanguinem cogerẽtur, quam rem apprime formidabant, fabulosas quasdam indicationes & ipsi sibi inuenere, nempè quæ à coitu, quæ iterum à lunæ motibus, ut interim dum huiusmodi pericula euitant, aut ui morbi, æger deficiat: aut iam præcipuam illã occasionem præteriisse asserant: diximus enim & iam antea, his artibus solere eos se tueri.* BEN. *O' scelesta capita.* Tu *uero putas'ne post coitum mittẽdum sanguinẽ?* ATH. *Quid ni? dum uiriũ robur adsit, & morbi urgeat magnitudo, sit quoq; æger florenti ætate: hos enim duos, seu tres mittendi sanguinis primos scopos, proposuit* Galenus, *& ante hunc* Hippocrates. At *non ex quouis uenereorũ usu uires deiici putandũ est, neq; in quouis corpore.* Quid *igitur (ut ad* Auicẽnã *reuertamur) credis'ne*

tres scopi mittendi sang.

 bonũ

bonum uirum his ſuis cautelis homines nõnullos necaſſe? BEN. *Puto ego quamplurimos: memini enim robuſtos iuuenes quoſdã hoc relicto præſidio, ſed & nõ alia ex cauſa mortuos: putarã itaq; hoc apud uos capitale eſſe.* ATH. *Capitale his tantummodo fuerit, qui ſibi ex ſpurciſsimis barbaris, atq; ignara illa ſchola duces ſelegêre. Cauſam uero ſiquis quærat, cur in tam grandem ſanguinis timiditatem lapſus ſit* Auicẽna, *præter multas, quas ſupra tetigimus, quũ eius ſcripta uniuerſim in cẽſum uenirent, ingenij ruditas quædam uiſa eſt extitiſſe. Simul & in curatiua methodo minime exercitatum eſſe, quod hinc patet. Poſuere* Hippocrates & Galenus *mittendi ſanguinis ſcopos, poſuere & quæ dehortantur: non quidem adeo ut medicum omnino ab eo opere deſiſtere cogant. Sed quia plus minus'ue mediæ uiæ accipi oporteat, iuxta id quod aut magnitudo, dignitas, aut demum indicationum aduerſantiũ multitudo nobis ſuadent. Has res cum in ea ſententia accepiſſe oporteret, hic tamẽ ueluti abſoluta quædã documenta propoſuit. Nec me exempla modò fugiunt, neq; itẽ uerba ipſa, quibus monſtrem, quæ dixi modo, uerum temporis breuitas me admonet, ſimul & dicẽdorum multitudo, ut ad cætera properemus. Nã quid dicam,* Dij boni, *de mittendi ſanguinis quãtitate? Si quando enim forte fortuna hoc tam grande periculũ ſubeũt, ſemiobolos præſtò eſſe oportet, ne uel drachmula una certum põdus excedant. Sibi nanq; maximum ſtatuerunt, & quod ſuperare haudquaquàm fas ſit, unciam ſextam, neq; eã ſimul, atq; uno impetu, quoniam à purpurato illo ſuo principe didicerunt, melius fore ſi partiaris. O' inſana capita, ò penitus*

de partiẽdã vene sectione

extirpã

extirpandos homines. Sunt'ne hi boni ciues, quos mortuos fletis, aut senescere indignamini? qui utinam à primo ortu perijssent: neque enim uita priuassent plurimos, sed & priuarēt quotidie, quibus respublica non sine dāno caret, quod & uos nostis. Quotquot enim sese eis cōmisserunt, nisi naturæ beneficio, aut morbi facilitate sanati sint, omnes breui periere. LAN. *At uos econtra seruaui si uel à morbi initijs uocati, uel mediocrem nacti estis curandi corporis habitum: perijsse nullum acuta febre.* ATH. *Tu'ne igitur hominum censor? atqui non putaram te nostri adeo diligētem esse obseruatorem: quod gaudeo: speroq; fore ut maiora adhuc indies uideas, nam & celerem, & certam, nec non sine rei familiaris detrimento, sanitatē plurimis pollicemur.* LAN. *Oportuit igitur uos prius pactos mederi.* BEN. *Nam quid obsecro?* LAN. *Quoniam minimum mercedis inde haurire queunt, temporis breuitate, contra quàm nostri faciunt.* BEN. *Optime ac facete dictum. Sed gestio cætera audire.* ATHA. *Nos igitur Galeno fisi, uno impetu (quoniam sic conducit magis, dum uires ferant) sanguinem misimus plurimum, nam bilibre pondus & trilibre in acutis febribus, aut magnis alijs morbis superauimus: atque id non modo impune, sed & tanta ægrorum tolerantia, ut nil supra eligi potuerit.* BEN. *Hui tam grande sanguinis pondus: profecto hoc hactenus nobis inauditum est.* ATH. *Nam quid miraris obsecro? num tu Galenum medicorum optimum arbitraris? Si itaque is, minimum fere pondus sesquilibram statuit, maximum uero selibre, aut amplius: cur non & nos, intermedias illas ua=*

cuatio

cuationes tentare audeamus.! Seruabant aduersarij nostri huiusmodi opera, ut siqua possent calumnia nobis officerent. Itaq; tantum abfuit ut hac in re quicquam profecerint, quin potius stupidi cœperint & ipsi, furtim quidem & dissimulāter, nostra sectari uestigia, nostraq́; instituta uerbis quidem spreta, opere tamen confirmare. Scimus nos ad exactam illam ardentissimarum febrium metā uentum adhuc non esse: nempe sanguinem mittere, quousque animo linquatur æger. Insuper ingenue fatemur, neq; id dimissum auxilium infamiæ timore, aut lucri gratia: utrunq; enim palàm nobis posthabitū est, atq; neglectum. Nec iterum quo timeamus aliquid ad opus uertere, quòd Galeni assertione comprobatum sit: sed quoniam è tenebris pauloante egressis, durum est lumen statim prospicere, atq; ad solem uerti. Consueuere quoq; et quæ certa bona sunt, dummodo insolita, initio perterrefacere. Quid igitur his accidet qui uerbis quidem se Galenicos uocant, nil autē quòd Galenum sapiat operantur, sed in Montagnana, Sauonarola, & quibusdā alijs, quorum nomina referre pudet, cōsenuere: num putas eos meliores fieri posse? BEN. Nequaquam: neq; enim sui iuris est, qui semel cōtraxit habitū. Sed quid est quod istos audiui dicere? cauendū esse maxime, ne sanguinis missione bilis ferueat, aut crudos augeas: & iterum, cōsilium meū est, ut dimittatur quo ad possibile est: his nāq; uerbis aliâs territus sum. Puto aūt medici alicuius ex præstantissimis extitisse, quoniam in ore omnium passim audiuntur. ATH. Quid mihi transcriptorem hunc allegas, qui in eo tractatu quem de uenæ sectione scribit, & cuius pauloante meminimus, tanta per

ta peruerse, tot inepte, tot ridicula aggregat, ut nihil pe=
ius excogitari queat: uel enim à uilißimo quoque, & qui
uel minimum in scientia hac eruditus foret, & uberius et
melius omnia dicerentur. Hanc rem abunde Paulus noster
monstrauit, in ea epistola quam de uenæ sectione aduer=
sus Auicēnam scripsit. Sed iam tempus est, ut ad id quod
tertio propositũ erat reuertamur: hos inquam tēpus igno
rare quo fieri debeat sanguinis mißio. Cum enim à prin=
cipio facta maxime conducat, tunc scilicet cum mouēdum
præcipue suadet Hippocrates: hi dũ suos expectant perio
dos, atq; urinas turbidas purpureas'ue: dum mollire aluũ
sua Caßia prius uolunt, dum cognatos consulunt, & fa=
mulos quoq;, præterit sanguinis mittendi occasio. Quæ
res et nõnihil infamiæ huic adeo excellenti præsidio adic
cit. Cum enim prima illa atq; utilis occasio præterijt, mis=
so deinde sanguine, siquidem ægrũ mori cõtingat (quod
uerisimile est) sanguinis mißioni hanc culpam tribuunt.
Dico autem uerisimile esse postmodum ægrum mori: nam
cum semel putredo ualida uenas occuparit, difficilis solu=
tu redditur febris. Quid postremo de uenis quas secãdas
suadent dicemus: cum alij in pleuritide tali uenam, alij in
cephalalgia nescio quos manus ramusculos magis diligũt
quàm hic externam, ibi uero internam uenam secare. Alij
cucurbitulas phlebotomiæ uicarias esse didicere. Alij &
hirudinibus gaudent, ut nouum aliquid comminisci ui=
deantur. Demum omnino student, ut uel sanguinem
haud mittant, uel nil ægrum iuuent. Adeo ut mihi persi=
miles his uideantur, qui internuncijs & aduocatis rem
agunt, dum principem libere adire liceat. LAN. At quæ
diu

diu anxit iuniorum animos quæstio, ad satietatem actitata, num scilicet semper recta uena secanda, an tibi utilis esse uidetur? ATH. *Vtilis ea quidem, uerum adeo clara, ut non modo controuersiam apud doctos uiros non habeat, sed neq; dubitationem ullam. Quo magis mirere quosdam in eiusmodi theoremate adeo laborare, ut nil aliud loquantur, prædicent, scribant. Quasi non decies mille alia, & ea quidē utiliora, restent perscrutanda. Sed iam uenæ sectionē dimittamus: atq; ad diæteticen accedamus propius, ea quanti referat probe uti, & Galenus ipse testatur, & ratio docet, ita ut nobis quandoq; diæteticen omniū morborū concoctricem appellasse libuerit. Neq; altera res est quæ cordatum magis ac solertem medicum exigat, ut qui probe morbi uigorem, quam prope adsit, conijciat. Neq; enim sic uires labi sinet, nec morbum cibatione augebit. Plenus est ea Hippocrates, ut qui huic negocio totum fere dicauit librum: quem nobis nuper Parisiensis officina, luculentißime latinitate donatum, misit. Hanc ipsam tantum abest ut aliqua ex parte cordi habeant, ut qui cibi, qualesq; in quolibet morbo cōueniant, minus norint. Sed nec quādo uberius, quando tenuius cibasse oporteat.* BE. *Nescio quo nam pacto hæc ignorarint: nā ex Hippocrate didicit unusquisq;, in morbi uigore tenuißimo uictu utendum, præcedentium temporum cōparatione. Sed & dum morbus increscit, quo propius uigori accedas, eò de cibo minues: quomodo igitur cibandi tempus ignorant? Nam de cibarijs ipsis haud ierim inficias inuenisse me aliam apud ueteres ciborum seriem, atq; exactā illam uiuendi formulam omnino hac tēpestate derelictā.* ATH. *quàm uellē*

Venam secandam in latere affecto.

Diætetice.

Cibus.

mihi

mihi tempus sufficere, mon strarē profecto in re adeo necessaria quàm longe à ueritate absint, sed decet solummodo rerum capita adnotasse. Quòd quidem uera sint quæ dixti modo, nempè in uigore morbi oportere cibū subtrahere, & Hippocrates & Galenus testantur, sed & ratio ipsa docet. Quoniā enim eo tēpore coctioni maxime uacat natura, opus est ipsam ad alia non diuerti, ut quæ in ea peragenda maxime occupata sit. Porrò cum crisis imminet, coctaq́; iam est materia febris, laborat tamen admodum, quum seligere atq; expellere se expedit. Proinde & grauia ac terribilia eo tēpore accidūt symptomata. Quòd si aliò auertas naturæ uires, præterit occasio. Multis enim uel leuis ambientis frigiditas, uel intēpestiua cibatio crisim abstulit. Nostri uero medici qui modo experientiā iactabāt, sibiq; eo ordine placebāt, adeo probe uictus rationē seruant, ut mulieribus potius obsequētes, quo magis prope est uigor, eo magis nutriūt, quoniā plus collapsas eo tēpore uires, reficiēdas amplius putant, quocirca et cōtusos gallinaceos, aut emaceratos atq; eliquatos sorbēdos exhibēt: Oua itē & siqua alia uehemētius nutriūt. De potu quid dicā? neq; enim hac parte melius se gerūt, quum omnes uino potēt, nulla alia ratione ducti (siquidē ab eis quæras) quàm quod uinū potare assueti sunt ægri, quasi iudicatio quæ à cōsuetudine sumitur, tātā uim mō habeat, ut eā quoq; quæ à morbo est, superet. An putas abstemios hoīes Galeni atq; Hippocratis tempore extitisse? hi tamē cū nō minus consuetudinē seruandam doceant, à uini tamen potu oīno acuta febre laborātes arcent. At nostri, ut potè bibuli ipsi quoq;, non patiuntur ægros suos siticulosos Potus.

losos lõgius à uino abstinere, præsertimq; Trebbiano dicto. Hinc subitæ mortes & desperatæ salutes. Dum enim nutris impura corpora, eo magis lædis. Quod siqui sunt qui sibi formulam quampiam tenuis uictus proponãt (uocant autẽ hũc qui ex solo pane fiat) eo sæpe à principio usi, coguntur demũ turpiter, atq; admodum pernitiose in statu ipso cibare, uel quoniã longius abfuit, q̃ ipsi conijcerent (siquidem unquam hoc eis in mentẽ uenit, dum uictum instituunt) uel quia defectas morbi magnitudine uires, uetulæ cibis reficere efflagitant, quibus minime aduersatur medicus. At quas nam obsecro defectas uires? Nẽpe si uel semel assurgente ægro, parum animo linquitur, atque omnino ad motiones corporis, deterius se habet. Nos uero (inquit Galenus) motrices dictas uires, haud equidem in morbis robustas expetimus, uitales uero quas pulsus indicat, tãtũ modo quatenus sufficiat æger, sola nanque concoctrix est quæ febres curat. Quod uero ad ciborum rationem pertinet, quamuis tu modo fassus sis, longe abesse à recto tramite medicos, quod tamen nobis notum non puto, hoc addam. Acutarum ægritudinum, in quibus præsertim exactum uictum exquirimus, nulli adhiberi talem: sed plurimos malo uictu perdi, alios uero in longas ægritudines inuitos trahi. Dicant quæso siquem unquàm solis potionibus nutrière, ex his qui acuta laborãt? quod ita quibusdam necessarium censet Hippocrates, ut sine eo uictu haud poßit saluari æger: sunt autẽ hæ non Zythus, aut ordei aqua, sed aquosum oxymel, aut mulsa, hoc enim solo & ad septimam contentos non dubitabant, quod & Galenus testatur: Qui uero iterum sorbitionibus nutriẽd i

triēdi sint, ptisanæ inquàm aut alicæ cremore quis nouit? profecto ex his nullus: nam si ptisanam exhibent quam dicunt, mille alijs admiscent cibis: quocirca proculdubio fructibus ipsius carent. Dico autem fructus, quos longißime Hippocrates *prosequutus est, ubi &* Galenus *addit, eos qui pane aut condro nutrirent, cum ægros lædere, tum ptisanæ beneficijs omnino carere. At sorbitiones puto nostri medici fugerent, uelut admodum tenues, attamen uidemus* Galenum *&* Hippocratem *eas in acutis plerisq;, uelut plus iusto nutriētes, euitare.* LAN. *At inquiunt corpora nostra uiribus imminuta, non posse ita acriter custodiri: esse item consuetudinem seruandam censent: quod & tu paulò ante tetigisti: non uideris tamen adhuc consuetudinis uires satis enucleasse, cum de uini potu disputabas.* ATH. Diximus Galenum *utendum his statuisse suis uerbis, quibus maxime assueuit æger, idq; bona ratione. Consuetudo nanque indicationem, quæ ab ipsa rei natura sumitur, comitatur, uelut in therapeuticis declaratū est. Nū igitur qui meracius bibere solent, protrahūtq; ad longas conuiuia noctes, his etiam in acutis uinum dādum est? Minime. Num carnibus cibandum? Haudquaquàm. Num pane? ne id quidem. Quo igitur modo consuetudinem seruādam dicunt? Nempè ut magis nutrias minus'ue, quàm sibi aliâs, aliud posceret corpus. Est enim sua uis indicationi huic: quæ tamen à morbo est, eam longe superat. Quod uero addebas haud ferre corpora nostra huiuscemodi uictum: non decuit profecto talem uirum, physicis rationibus egregie instructum, quiq; historiarum agnitione refertus sit, talia loqui.* LAN. *Iocabar equidem,*

Consuetudini quātum tribuē-dum.

d tibiq;

tibiq; aliena proponebã, haud mihi probata. ATH. Si demum ad integram, & quæ proprie ptisana diceretur, accedas, quæ & longioribus conueniret morbis: non modo ea usi non sunt, uerum nec satis norunt quæ nam ea sit, quo minus, qua nam uia ea fieri posset, tentarunt. Nobis itaq; uniuersus imminet labor, ut quibus mens sit, hanc quoque artis partem instaurare, quod & nos hoc anno opere monstrauimus, quando plurimis ægris prout oportuit exactißimum uictum instituentes, eos breui sanauimus. Quin eos potius natura, ut quæ plurimum crisi morbos leuaret. Quam tamen crisim ipsi nunquàm se uidisse aiebant, aut quamrarißime: quin & Galeno illudebant atq; Hippocrati, somniasse eos dicentes, ac uanum quid commẽtos, dum quarti, septimi, noni, undecimi, decimiquarti quoq; criticas uires celebrarent. Dicebamus paulò ante cum de potu ageremus, nõ sinere nostros medicos à uino abstinere ægros. Cum tamen siquod in febribus dandum sit, nec quale id esse debeat, nec quo tempore decernunt: uini nanque nocumenta permaxima sunt, ni tempestiue detur: sicut econtra magni usus fuerit, si probe utaris. Sunt autem nocumenta eiusmodi. Primum quod calorẽ adaugeat, & uiscera siqua inflammata sunt, lædat: humores commoueat, atque ea ratione coctionem impediat: quin nec nobis præsto est uinum, quod etiam inclinante morbo, satis conducat: nempè album, tenue, uim aquæ paulo euincens, quare non minora in potu quàm in cibis eos nocumenta præstolantur: sed satis superq; de his sermo fuit. De ea uero parte quam pharmaceutriam dicunt, si pro meritis loqui uelim, quàm longe à ueritate

Vini potus in morbis.

Pharmaceutice.

& recta

& recta ratione ab his tractetur, profundam forte dicendi abyssum ingrediar, quæq; iustum uolumẽ potius exigeret: Siue enim alterantia præsidia, siue uacuantia seu demum concoctricia ab eis dicta consideres: piget me dici medicũ, atq; adeo iniuste eo nomine nũcupari: postquàm & ego hactenus his usus sum. Primum enim quod his cõmune uitium est, methodo nulla duce ut aliâs dicebamus, composita sunt, sed inepta quadam similium rerum congeriè referta, è quibus hæ quidem ignotæ sunt, seu hominum negligentia, seu uocabulorum absurditate: hæ uero perperam ab artificibus acceptæ, solo demum nomine tales: nam uiribus adeo languidis existunt, ut nullo penitus usui sint. His tamen acquiescunt medici, quibus scilicet sat est hoc, Ammoniacum, hoc casiam, hoc Bdelium uocitari; quasi nomina, nõ res ipsæ nobis sufficiant. Hæc igitur tum medicis, tum ministris communia sunt. Quæ uero priuatim medicos tangunt, (ne in hac parte nostri sermonis postrema, absentes sine ratione condemnare uideamur) uobis modo aperiam. Nõ minus scilicet in pharmacorum usu falli eos, quàm in uenæ sectione, de qua paulò ante sermo fuit. Neq; enim quo utãtur sciũt, nec si scirẽt, his pro tempore utuntur. Quod quidem igitur in electione simplicis materiæ fallantur plurimũ, non est opus modo transigere. Cuilibet enim uel minimum in eo negocio experto satis patet. Porrò ubi aliâs de plantis sermonem habuimus, superest modo ut de metallicis addamus quædã. Ex his nullum aut rarum ad nos, non adulteratum affertur, seu similium rerum artifici admistione, seu arte naturam ipsam colore ac figura penitus imitante, quo eligen- Metallica.

tes fallantur. Sunt autem huiusmodi Auripigmentum, Stibium, Cinnabari, Miniũ, Sandix, cæteraq; multa, quæ si uera forent, maximo nobis usui essent. Quare doleo medicorũ sortem, ne dicam negligentiã, qui studij huius curam sibi non susceperint, uerum rem omnem seplasiarijs dimiserint: atq; hi rursus rusticis aut mercatoribus rem omnem delegarint. Illhac itaq; tandem pendet humana salus. BEN. Cur non & uera pro fictitijs nobis modò aduehũtur? ATH. Quoniã cæteri artifices omnes suæ materiæ studiosi sunt, præter medicos. Cũ igitur pictoribus satis superq; forẽt, quæ chymica arte confecta sunt, ea quidem sibi asportari curarunt. Atq; ita factũ est (ò facinus indignum) ut pluris apud mercatores pictura, quàm medicina foret. Proinde quũ medici suæ materiæ ignari, singula nullo delectu habito admitterent, factũ est ut adulterina nobis, ueluti prõpta magis, pro genuinis irreperent. Non ita Galenus, qui plurimas medij maris oras, hac siti urgente adnauigauit: & nos quoq; eius exemplo tum ad oriẽtis emporia, tũ ad Germanicas fodinas, diligẽtes statuimus amicos, qui nobis ueras tandẽ rerũ effigies monstrẽt. Caueant igitur (quod & ad senem paulò ante dictũ est) his instrumẽtis usi, amplius experiẽtiam iactare, celebres'ue compositiones: nam si qui inde curãtur, id tãtummodo naturæ, aut fortunæ ascribendũ, quod & antea dicebamus. Quod uero nec tẽpestiue his utãtur, aliâs apertius monstrabitur. Quoad tamen nobis modo licet, paucis exponam. Atq; à uacuatione initium sumam, qua multos morbes curare confidunt. Porrò eam solent aut pharmaco, aut clystere moliri: sed plurimum importuni: nam

Vacuatio.

cum

eum molliendæ alui gratia, per ſedem molle quippiã aut humidum infundere debuiſſent, hi herbarum decocto ſalſem plurimum inijciunt: quæ res quantum ægros angat, dum nuda uiſcera pungit, dum deiectionem acerrime irritat, ſymptomata quæ inde accidunt ſatis monſtrant. Alijs nanq; uenter turbatur, alij linquuntur animo; omnes demum adeo aluo ſiccantur, ut uix ad longum tempus humeſcat. Poterant tamen legere, uel ſi etiã ſola ratione uterentur, ex ſe ipſis inuenire, in calidis febribus molli clyſmate utendum, in cæteris & acribus quoque, & ſalitis. BEN. Quantum momenti in re adeo exigua, ſed & quàm uera narras. ATH. Nos igitur primi omni acritudine expertia infudimus: quo factum eſt, ut non modo incommoda ea, quæ paulò ante in cenſum uenerant, nos minime manerent: uerum pro his & humida aluus, & totius corporis quies ſuccederet. Quid igitur de potionibus dicemus, ſi in re adeo nota peccãt? Hi itaq; in febribus ægros adeo medicamentis exaſperant, quæ deiectoria appellant, ut uel omnino perimant, uel admodum lædant. Atque utinã nõ & ego meis hoc didiciſſem periculis: quãdo unà ipſis & à morbi initijs, & ipſo iam increſcente, nõnunquàm uero & uigente deiectoria medicamenta propinaſſem, leuiuſcula quadam coctionis nota permotus. Hinc accidit, ut his potis ſæpius inualeſcat putredo, coctio tardetur, incipientes ſudores arceantur, laborãtium uires tollantur, atque omnino impediatur criſis. Sed & quod riſu dignũ eſt, febres omnes deiectione ſe curare poſſe arbitrantur: attamen aperte ſcriptum inuenere, per eas uias ducere oportere humores, per quas tentat natura: hoc enim pa- Noxa catharticorum in febribus.

cto sibi minime renitimur. BEN. Solent his quæ obiecisti modo ita respondere. Nostræ inquam tempestatis ægros, ex malo præeunte uictu, succis abundare: idcirco necesse esse à principio morbi materiam imminuere: ita enim memini scripsisse Hippocratem. ATH. Eniterer profecto hunc uobis adeo pernitiosum errorem aperire, neq; id mihi difficile foret, ni maius ocium exposceret: uerũ propediem uobis satis fiet spero, si quæ modo parturimus, pariamus quandoque. Ne tamen omnino pugnam detrectare uidear, neu uos omnino aduersus huiusmodi tela nostris aduersarijs improuisos relinquamus, paucula adijciemus. Hoc enim tandem gratis sibi concesso (quamuis & tu apprime noris, aut parum aut nihil uiuendi modum immutatum esse, postquàm Romanus luxus totum occupauit orbem) nulla ex parte ueritati aduersatur. Audite obsecro Galenum hanc rem hisce uerbis declarantem, quæ quidẽ & paulò ante in medium adducta sunt: Pauperes inquit quam diuites certius faciliusq; sanitati restituimus. Inter cæteras autẽ quas affert causas, ea est, quòd ex quo diuites desidem uitam degunt, plurimisq; & his quidem admodũ nutrientibus utuntur cibis, plurimum itaq; sanguinis abundare necesse est. Quare uenæ sectionis egentes maxime, eam tamen admodum formidãt. Fateamur igitur & nos si libet huius tempestatis homines plurimo uti cibo: Num ex eo pharmaca exhibere oportet ad succos minuendos? Minime gentium. Nam uenæ sectio est, quæ multitudinem minuat, & siqua sunt quæ ex accidẽti euacuent, Inedia scilicet, balneum, frictio, atque eiusmodi. Hæc itaque cum ratio suadeat, insuper & maiorum autoritas,

pharmaca ad minuen. succorũ multitudinẽ

ritas, nobis quoq; experientia comprobauit. Vbi facta ab initio sanguinis imminutione celerrime reliquum natura concoxit: Sed nec officij sui oblita, sæpius & segregauit, atq; expulit. Sin minus medico prudentißime manū porrigente iuuata natura, leuißimo auxilio coctum deiecit humorem. Sed iam tempus est ut receptui canamus, nimis enim in longum nostra hæc tenditur oratio, sed nec pro meritis licet singulorum modo meminisse. Neq; ego hæc tetigissem, ni satis scirem, plura multo capere uestrū ingenium, quàm ego dictis explicarim. Hoc tamē unum tetigisse uolui, ac postremo annotasse, ubi scilicet de coctione & cocto humore mentio incidit, non modo ab his coctionis uim & naturam ignorari, uerum nec quibus auxilijs iuuari debeat concoquens calor. Dico autem auxilia, non quo medicus coctionem per se iuuet, atq; humorem concoquat, ut stultißimi medicorum arbitrantur: sed quo naturæ placidiorem & minus rebellem ac difficilem succum concoquendum reddat. Hoc opus Galenus oxymelitide Oxymel. *exequebatur, aut solo, aut radice herba'ue quapiam incocta. Nostri uero medici quominus laboris, plus uero lucri suis ministris accederet (à quibus etiā sæpe prouētus portiunculam clam accipiebant) perennes quasdam inuenere potiones, quas syrupos uocant. De quibus si disserere uelim, qua methodo compositi sint, aut ex qua materia, uix* Syrupi. *mihi dies totus sufficeret. Neq; enim sæpius satis sciunt, num per eos uentris solutionem quærant, an suam nominatam digestionem: tanta est solutiuorum pharmacorum cæteris confusio. Porrò ut falsitatem hanc aureo operirentur amictu, addidere magnifica nomina,*

qualia sunt, de pomis syrupus, aduersus melancholicũ hu morem Achilles. Quin & à regulis quibusdam composi tos commenti sunt, quo plus ipsis autoritatis accederet, quasi potestate regia, aut armis, non autem recta ratione defensanda esset compositio. Hunc subinde Diarodon, hunc ex epithymo appellant, quod siqua fieri posset, ut misturã illam dissolueres, profecto ne minimas quidem re liquias inuenires eorum, à quibus nomenclaturam accepe runt. Quid itaq; stultius quàm arbitrari succi malorũ dra gmulam, atram bilem edomare, quas scilicet uel integras quoq; comedere fas est unicuiq;: hoc tamẽ sibi persuadẽt, ac belle in huiuscemodi sibi placent. Quid demum dicam

Aquæ distillatæ.

de aquis extillatione productis: An turpius quippiam no bis unquam omnigerum attulit mare, aut mõstrifera Afri ca. LAN. *Sæpius rem hanc admiratus sum, nec poteram ullo pacto acquiescere huic adeo aperto errori, ut facile crederem, quod adeo igne elaboratũ est, amplius suæ ma tricis herbæ seruare uires. Mitto ego simplicia quædam, quæ natura adeo fortibus donauit misturis, & tãto nexu*

Rosa.

coalentibus, ut uix igne dissolui queant: qualis Rosa est, quam & Theophrastus admiratur, sed nec propter hanc uniuersim huiusmodi parandi arte utendum censuerim. ATH. *Quin nec Rosa quoq; omnino suam seruat natu ram, etiam ipsismet testibus: succus nanque ipsius aluum soluit, ubi quæ exstillatur aqua apprime compescit. Quid igitur de cæteris dices, quæ in quotidiano usu medicis sunt, Absynthio, Cicorio, Asparago, num quippiam suæ naturæ referre amplius tibi uidentur?* LAN. *Haud equi dem: nam saporem quidem nullum, odorem uero uel iti dem*

dem nullum, uel admodum paucum, præter fumosam quandam atq; igneam exhalationem seruant. BEN. Ego quidem periculũ non feci Landine, ut qui non adeo medicis rebus addictus fuerim: uerum ratio dictat, quæ dicitis uera esse: Quæ scilicet igne exusta ac torrida fiãt, pristinã naturã amittere, quæ in sola illa atq; integra mistura uersabatur. ATH. His tamen plena sunt omnia, his morbos profligant, his ægros potant quandoq;, his perfundunt præcordia. Hanc igitur uomicam & nos persanauimus, qui omnibus his tum syrupis, tum aquis explosis, solo oxymelitide contenti, seu perfectæ coctionis, seu aquoso, aut mulsa eodem modo parata, Galeni instar, cum libuerit aliquid incoquentes, contenti sumus. Atq; hoc solo febre acuta male habitos potamus, hoc inquam & coctionem iuuamus, atq; ad notas naturæ uias humorem dirigimus. LAN. Magnum profecto uobis imminet ab hisce uiris periculum, quos tanto lucro defraudatis. ATH. Cæterum quo scias amplius quantum huiusmodi inimicitia nobis cordi sit, decreuimus uel artis huius præfectos consules, uel si oporteat, Illustrißimum nostrum principẽ adire, simul & commonefacere, quanto in discrimine uersetur res medica, atq; hinc hominum uita: ubi medicamenta tractari eorũ manibus uidemus, qui plurimum neq; ea norunt, uel si norunt, præ auaritia eligere optima minus student. Neq; enim esse bene instituta ciuitate dignũ, unicuiq; hoc negocium paßim committi: sed his solum, qui probatißimis medicis, idonei uisi fuerint. BEN. Vtißimum profecto opus hoc fuerit, ac laude dignum, his tantummodo min istris uti, quos probes. ATH. Erãt quidem Oxymel.

& plurima adhuc dicenda, uerum uobis rerũ capita monstrasse sat fuit, utpote uiris qui ea pensitare, quantiq́; facienda sint nosse poßitis, cum præsertim in dies quotidie prodítura sint Galenicæ hæreseos momenta, quæ quidem si genium illud Galeni ad unguem non fuerint, hoc tamen laudis dubio procul secum ferẽt, quod omnino ab his qui primũ Galeni medendi methodum ab inferis euocarunt, prodiere. LAN. Non'ne arbitraris breui fore, ut medici omnes qui hæc nouerint, in uestras partes conspirẽt? neq; enim diu poterũt ueritati obsistere. ATH. Dicã ego quod sentio: Primum ex his qui uulgo medici uocantur, triplicem, si diligẽtius aduertas, reperies differentiã. Alij nanq; adeo hebeti ingenio sunt, atq; omni ex parte rudi, ut nullo pacto ueritatem, & si apertißimam, prospicere ualeãt. Alij iterum ueritatem quidem optime norunt: eam tamen fateri sibi haud utile esse putãt. Primum quod magno sibi dedecori fuerit in tanta ignorantia consenuisse. Deinde quod omnes ilico ludibrio habeãtur: ut qui senes admodum, nuperq́; in tanto pretio habiti, perinde ac pueri prima artis rudimenta addiscere debeant. Porrò hos quiduis potius pati certum est, quàm semel aperte manus dare, atq; eorum uideri disciplinam capescere, quos modo lactentes, ac nullius pretij medicos appellabãt. LAN. Quid igitur facient, aut quo nam modo famam suam posthac tuebuntur? ATH. Quod & facere tunc primum cœpere, quum ad eorum aures res hæc peruenit. Ad conuitia inquam, & maledicentiam se conuertent: experientiam, ætatem, canosq́; ostentabunt, ciues perterrefacient, atq; eiusmodi in dies molientur multa, quæ tu optime calles Lan-

Medicorũ differẽtia triplex.

dine

dine: ut qui pluries pro nostris partibus acerrime conflixeris. Accedo demum ad tertiam medicorum differentiã: eorũ scilicet qui non modo partes sectantur nostras, uerum & plurimo nobis adiumento fuere. Inter quos primus & maxima nobis familiaritate iunctus Guido Anterigolus *est: iuuenis quidem qui optime* Curtianam *illam disciplinã oleat, quiq; nobis de suo ingenio plurima polliceatur. Adsunt & alij* Galenicæ *sectæ studiosi, quos inter* Andreas Paschalius *in primis merito numerandus est. Quin & alij quoq;: uerũ præ cæterorũ multitudine pauci, hiq; omnes ætate iuniores. Per hos inquã optime sperandum est, res nostras auctum iri. Quod si qui ex alijs demum ueritate uicti in castra nostra transfugæ peruenerint, lubentes quidẽ suscipimus: dummodo nõ furtim quidem, ut supra diximus, uerũ aperte* Galenicæ *sectæ nomẽ profiteantur. Ita enim academiam nostrã appellasse libet. Quòd si quis nos minus dignos iudicet, quàm ut instauratorũ nomẽ mereamur, atq; ipsius sectæ innouandæ autores:* Hunc *uelim omni affectu deposito considerasse, quo pacto (ut de se* Galenus *inquit) nos primi pericula subiuimus: tum quæ ex iam dissueta arte oriri poterat, tum item quæ nobis affatim maledicorum numerus afferebat.* Diu *enim undiq; destituti, & aduersus barbariem insuper & barbarorũ sectatores, demũ & cõtra ignauum uulgus certauimus: uicit tandẽ ueritas, uictoriã modo prosequimur. Quod si primum nostro huic labori Illustrißimi ac fœlicißimi principis nostri gratia nõ desit, nec nõ & doctorũ hominum, in quo ordine facile primus locus urbis nostræ nobis debetur, unà cum* Laurentio Stroza, *ac fratre eius*

Philippo,

Philippo, Petroq́; filio, ſed & Petro Victorio, Bartholomeo Caualcanto, cæterisq́; quamplurimis, cum in alijs omnibus, tum in hoc doctrinarum genere apprime eruditis uiris, non dubito, quin nobis res omnes ex ſentẽtia ſuccedant. Sitq́; hoc & noſtri & urbis totius, imò & Ethruriæ perpetuũ gloriæ monumentũ. Neq; ierim inficias, futuros poſthac pleros q;, qui & doctrinæ ubertate, & dicendi facilitate, nos longe ſuperẽt, quin & in artis operibus plurima inueniãt, remq́; publicam augeant: hoc inquã ſperamus atq; optamus, ſiqua tamen debẽtur his qui rem ab initio orſi ſunt, hoc totũ Academiæ noſtræ condonari petimus. Et ſi enim & alij quidam Galenicam doctrinam noſtra ætate ſuſcitarint, atq; aduerſus barbaros acerrime dimicarint: inter quos Curtius, ætatis noſtræ decus, primũ locũ tenet. Nos tamen primi (quod nouerimus) Galenicas ueritates opere quoq; monſtrauimus, atq; ipſius uniuerſam methodũ exactiſſime exequuti ſumus. LAN. Iuſta petis. Ego uero quod hactenus feci, ubiq; gentium ueſtri famam tuebor, ac pro uiribus extollam: ſic enim & rei grauitas, & animi ueſtri magnitudo expoſcit. BEN. Ego uero quid dicam, qui uobis quondam aduerſarius extiti? LAN. Hoc ſolo culpam omnem dilues, ſi te uictum fateberis. BEN. Quin & in partes ueſtras lubens ſecedo: gaudeoq́; me in extrema ſenecta nouum fieri militem. ATH. Valete igitur uiri optimi, ac rem literariam ut facitis fouete. BEN. Vosq́; iterum pergite: Neq; enim deorum hominumq́; opera uobis deerit. Vale. Ego uero domum me recipio Landine. LAN. At ego ad has uiſendas plantas, priuſquam emarceſcant, reuertor iterum. Vale.

PETRI FRANCISCI PAVLI MEDICI GALENICI ADVERSVS AVICENNAM DE VENAE SECTIONE TRACTATVS.

PETRVS FRANCISCVS Paulus, ex Galenica secta medicus Florentinus, medicæ artis studiosis Salutem.

COgitauimus iamdiu, uiri medicinæ studiosi, ueterem ueramq; medendi methodum pro uiribus è tenebris eruere, quam quidem omnium disciplinarum nobis autores Græci iam antea optime excoluerant: Barbari uero post hæc dehonestarant, atq; corruperant. Necesse itaq; habuimus eos, qui pro ueris autoribus nobis successerāt, demoliri, atq; eos minime sectandos duces, aut obseruandos ostendere. Cæterum inter reliquos maxime Auicennam, utpote cui primas partes nostri medici tribuere soleant. Quum uero plurima nobis occurrerent aduersus eum dicenda, minime uisum est singula eius opera prosequi: nam quid hoc laboris mihi susceperim? Verum unicum de uenæ sectione caput in mentem uenit mihi proponere, quoniam à nouis his medicis uel maxime laudari soleat Auicenna, quod in eo præcipue Galeni mentem felicißime assequutus sit, quantum itaq; longe haberent monstrare enitar modo: quam rem si commode assequutus fuero, non minimum momenti ueritati adiecisse uidebor. Sin minus, alijs postmodum & doctioribus (ubi ita sorte contigit nos cœpisse) ea perficere atq; explere negocium erit.

Valete.

PETRI FRANCISCI PAVLI MEDICI

Galenici, de uenæ ſectione, aduerſus Auicennam, tractatus.

PRIMVM *itaq; circa ipſius definitionem inſiſtendũ eſt, quam huiuſcemodi uerbis explicat. Phlebotomia (inquit) eſt euacuatio uniuerſalis, quæ multitudinem humorũ euacuat. Quid deinde per multitudinẽ intelligat, exponẽs ſubdit: Multitudo uero eſt augmentũ humorum, ſuper æqualitatem ipſorum in uenis. Porro hæc prima ſui facie haud temere dicta uidẽtur, quum enim & ſuperabundent quandoq; humores ex æquo (hanc plectoram dicunt) interdum, & alter eorum exſuperet (hãc cacochymiam appellãt) illi quidem uenæ ſectionẽ opportune adhiberi dixit Galenus: quam & abſoluto uocabulo uacuationem, prima aphoriſmorum dixit, huic uero purgationem. Verum quæ ſubinde addis, non bene dictis conueniunt: ſi enim phlebotomia multitudinem uacuat, atq; ea eſt exacta phlebotomiæ notio, quomodo deinde uitioſos quoq; ſuccos per eam uacuari dicis? Huiuſmodi enim uerborum ſententia eſt, altera ſcilicet ex cauſa fieri uenæ ſectionem: uel quia humores multi ſunt, uel quia uitioſi. Non erit itaq; phlebotomia multitudini propria uacuatio, quare neq; ea quam poſuiſti ſatis ſufficiens definitio fuerit:*

fuerit: ut quæ minus prosperæ rei naturam declaret. Est igitur iuxta Galeni sententiam, minuenda sanguinis multitudo, per uenæ sectionem, non tamen inde inferendum est (ueluti tu facis) uenæ sectionem propria ratione multitudinem solam respicere, potest enim & uitiosum sanguinem uacuare: qualis in putrida febre: qualis in melancholico morbo colligi solet. Superest, ut ad ipsius documenta propius accedamus, in qua re aliquantisper sciscitari uelim, eos qui Auicennam Galeni genium asserunt, qui'ue Arabes autores Græcis conferre uolunt, quo nam pacto tractatum hunc illi contuleris, quem Galenus de uenæ sectione inscripsit: tantam enim puto ibi reperies differentiam, ut nunquam aliàs uel doctrinam, uel ordinem, uel facilitatē in hoc autore sis amplius admiraturus. Attamen debuit Auicenna (ut qui se Galeni interpretem professus est) dicta ipsius tum enucleare, tum optima quadam serie digerere, demum & plurima addere, quemadmodum & Galenus post Hippocratem fecit. Hic uero tantum abest ut quicquam profecerit, quin potius omnia turbat, omnia peruertit: nullum sibi proponit dicendi scopum, uerum ex abrupto modo hoc, modo illud attingit: adeo frigide, adeo leuiter, ut reticuisse sit satius. Quanto melius Galenus, quem te sectari par erat? Proponantur, inquit, qui corporis affectus uacuationis egeant: deinde qui nam eius quæ per sanguinis detractionem fit: demum quinam innoxie hāc ferre poßint, insuper & quibus animaduersis uacuationis modum probe conijcias: dehinc & quibus uenis ea fieri debeat, & siqua reliqua sunt: quæ sibi diligens medicus, atq; huius auxilij pertractator perscrutari

ſcrutari debet. Omnia proponit atq; exequitur. Verum ea quæ Auicenna tradit, ſecus ſe habere res ipſa monſtrabit, ſi paulo diligentius ea quæ ſequuntur, attendas.

Cœperat Auicenna affectus & ſymptomata enumerare in quibus uenæ ſectio cõuenit, aliàs quidẽ priuſquam malum accidat, aliàs quum ipſum iam adeſt: Quibus inquit, percußio accidit, aut caſus minuuntur, quandoq; timendo, ne eis accidat apoſtema. Verum quidem eſt, & à Galeno dictum, etiam in puro corpore propter tractionis uim, quæ ex dolore eſt, uenæ ſectionem abhibendam eſſe, quum quis grauiter ictus eſt. Si itaq; ex graui ictu ſemper inflammatio conſequitur, ſemper per uenæ ſectionem ipſam prohibere expedit. Neſcio igitur cur tu quandoq; id fieri aſſeras, nobisq́; doctrinam adeo mutilã, atq; incertam relinquas: nihil enim eſt aliud hoc modo loqui, quàm regulam nobis indiſtinctam relinquere, & nihil docere. Quod ſi tu ea ratione quandoq; uenam ſecari debere dicas, non autem ſemper, quoniam ſcilicet non ſemper grauis ictus eſt, ex quo inflammationem timeamus, oportuit equidem hoc declaraſſe, ac mentem tuam aperuiſſe: quando nam hoc fieri debeat, quando ſecus.

Quæ uero in facta iam inflammatione ſuadet, difficile eſt mentem ipſius conijcere, neq; enim uideo quid nam his uerbis ſibi uoluerit: Qui, inquit, habet apoſtema minuẽdus eſt, quoniam timetur ne antequam maturetur, aperiatur: quamuis nõ fuerit ibi multitudo. Primũ enim ſcire uelim, quis nã unquam rũpi uiderit apoſtema, antequam purulentũ fiat: ſiue per apoſtema abſceſſum ipſum intelligat, ſeu, ut ſolet, uniuerſale tumorẽ omnem in naturalem,

præsertim si in ipsius corpore multitudo nõ adsit. Verum *hæc certo sunt uerba quæ priori canoni annectenda erãt, dum dicebas, bis sanguinem mitti debere, qui grauiter icti fuerint: si enim his uerbis addas quæ modo dixti scilicet id fieri debere, quamuis non indiguerit, & non fuerit in corpore eius multitudo sanguinis: iam complete* Galeni *sententiam excipies.* Quare *uerba hinc inde ex* Galeno *collecta qui male nectit, signum est ea colligere ac exscri bere, quæ minime intellectu capit.*

Voluit *postmodum* Auicenna *factarum seu imminentium ægritudinum rationem habere, atq; unã alteri comparare, quo nã modo ad uenæ sectionẽ se habeãt.* Inquit *igitur:* Dum *iste ægritudines timẽtur (quarũ scilicet paulo ante meminerat) plus secure eis cõceditur minutio: sed quum in eas ceciderit, penitus phlebotomia dimittatur.* Imitatus *esse* Galenum *uidetur* Auicẽna, *qui in libro huic negocio dicato,* Si *cui morbo inquit obnoxiũ esse hominẽ noueris, utputa pulmoniæ, pleuritidi, anginæ, nõ expectemus dũ aliquod euidẽs plenitudinis symptoma appareat, sed anteuertere præstat, per sanguinis mißionẽ.* Hæc ille. Si *igitur homo iste dixisset, melius esse præuidere priusquam accidant, optime ad* Galeni *mentẽ dixisset: uerũ dicẽs, plus securè tũc fieri: innuit, postquã acciderint, haud ita secure fieri posse, præsertim quũ statim aduersatiuam addit falsißimã, qua penitus errorem suũ explanauit.* Est *autẽ hæc uerborũ series:* Et *quũ in eas ceciderint, in earũ principio penitus phlebotomia dimittatur.* Hæc *uerba cũ his quæ ad ipsa sequuntur: quibus scilicet abũde nos perterrefacit, ne aliquãdo tentemus, dum ægritudo iã adest,*

uenam

uenam secare: hæc inquam si pro meritis pensitare uelim, iustũ profecto uolumen exigerẽt, tanta ac talia sunt rerũ capita, quæ nobis occurrunt. Hæc enim nõ modo Galeni uerbis aduersantur, uerũ & ipsius operibus, quin & rationi, uerbis quidẽ ut ex dictis ipsius manifestũ est, siquis ea quæ in libro de uenæ sectione refert, cõsideret. Inquit enim non solũ ubi adest plenitudo, mirifice prodest uenæ sectio incipiente phlegmone, uerũ etiã citra plenitudinẽ, seu propter ictum accidat, seu propter dolorẽ partis, uel etiã ex ipsius imbecillitate. Hæc ille. Sed quod mirere magis tui ipsius uerba, simul & operãdi modos, cõtẽpleris, quibus libro tertio usus es, nullius minus quàm huius uerbi, in earũ principio penitus dimittatur, uideris meminisse, & quidẽ hoc modo per somniũ dictũ putarim, ni paulo post eodem capite, plurima huic sententiæ consona protulisses, de quibus mox erit sermo: sed ad Galenum reuertamur modo, atq; ipsius uerba inspiciamus, qui non modo incipiente morbo uenam incidit, sed & iam increscente: ita enim & herum & seruum sanguinis mißione ad deliquium animi perducit. Quod si rationem expectes, nescio ego quid nam moueat ad hoc dicẽdum: sicuti enim dimißa ab initio sanguinis mißione, plurima sequuntur incommoda: ita & admissa ea, non leuia pericula euitamus. In febribus nanque, ut Galenus inquit, priusquam putredo ualida uenas inuadat, maturanda est sanguinis mißio: quòd si initio phlegmones hoc fiat, proculdubio ipsius augmentum arcebis, sed & pluries omnino sanabis. Quæ uero scioli huius hominis interpretes commenti sunt, nempe quia uidebant, non dicere tantum hominem

uniuersalium theorematum obliuisci, dum proprias curationes aggreditur, cum futilia sunt, tum mentem ipsius minime monstrant: neque enim minoratiua dicta phlebotomia, minus nobis ea incommoda afferre uidetur, quæ statim Auicenna ponit: sed & uenæ sectionem, quam in multorum morborum initijs fecit Galenus, nescio an eradicatiuam appellare uelint: qui enim ultra animi deliquium materiam eradicare uoluerit; simul puto & animam quoq;, uitamq; eradicabit. Atqui uniuersaliter dixit Hippocrates: Inchoantibus morbis siquid uidetur mouendum, moue. Quæ uerba Galenus plurimum de uenæ sectione uerificari ait.

Spectemus modo incommoda, quæ nobis statim proponit, ut à uenæ sectione nos omnino deterreat, tot enim ac tanta sunt, ut nihil mirum, si nostræ tempestatis medicos omnes torpescere coëgit. Humores inquit subtiliat, eosq; per corpus fluere facit: sano sanguini eos admiscet, & nihil quãdoq; euacuat ex eo quod oportet. Porro horum ut sui moris est, nullam rationem addit: sed neq; experientia compertum dicit: quanquam si diceret, nihilo plus ea ratione illi credendum censeam. Quod enim primum humores subtiliet, nemo est qui mihi persuadeat: ni forte & hoc loco chimærã illam suam imaginetur, quam subinde magno hominum terrore ostendit, dum ait: Caue ne ægrum sanguinis mißione ad bilis feruorem ducas. Verum hæc uerba paulopost in censum uenient. Videtur itaq; uenæ sectio quod ad tenuitatem spectat uel craßitiẽ, in eodẽ statu humores derelinquere, ni refrigeratione ea quam totis uenis fieri inquit Galenus, humores tenues

reddi

reddi arbitreris. Quid est quod deinde addit: Et eos per corpus facit fluere? Fluere enim per corpus humores necessarium est, quoad uacuentur. Verum si ex eo times, ne in aliquem locum decumbant: & præcipue læsum, qua ratione augeatur morbus (neq; enim aliud tua uerba, si quidem diuinare contingat, sibi uelle uidentur) non bene mittendi sanguinis rationem didicisse uideris. Quàm longe enim auertere fluxionem docuerunt Hippocrates & Galenus atq; à determinato loco ad determinatum trahere: quocirca non decuit bene instructum medicum hæc timere. Cæterum & tu quoq;, si hæc timebas, nescio primũ cur huiusmodi auxilium multis internis inflammationibus afferas. Deinde & rationẽ reddidisse oportuit, cur magis ea accidant, quum ab initio sanguis uacuatur, quàm si in statu morbi. Quod uero dicis: eo opere malum sanguinẽ bono confundi, nescio ego qua ratione, neq; enim Hippocrates quum in pleuritide colorem sanguinis immutatum inspicere uoluit, bonum sanguinem deteriori admiscuit. Sed quum necessario prius bonum, & minime alteratum abstulerit, consequenter deinde & semiputridum uacuauit priusquam sisteret. Addit postremo inutilẽ esse hanc euacuationem, & in qua minimum sperare debeamus: ut quæ nihil euacuet ex eo quod oportet. Qua in re uideris profecto mittẽdi sanguinis regulas his admiscuisse, quæ de purgatione scripta inueneras. Verum res hæc melius subsequẽtibus uerbis mõstratur, quũ ait: Quumq; maturatio apparuerit, & ægritudo principium aut statum præterierit, tunc si oportuerit ut minutio fiat, facienda est: & reliqua. Nescio ego cur nam coctionẽ expectare

debeamus, & statū morbi præterijsse. Præter enim quod Galeni opera aperte contrariū monstrant, ostendit quoq; ratio, opitulari oportere naturæ, non quando uictoria iam adepta est, uti tu facis, sed quum laborat: uerum hæc, uti dicebamus, ex purgatione ad sanguinis mißionem translata sunt. Quare tot suis uerbis Auicenna nihil boni, nil utilis nobis reliquit, sed solum necandi ægri occasio extitit, dum miseros medicos, qui sibi admodum addicti fuerint, ab huiuscemodi auxilio deterret. Sed tempus est ut ad alia properemus.

His quæ modo dixerat, ea quoque conueniunt. Et quum ægritudo inquit est habens crisim, in cuius tempore est longitudo, nullo modo sanguis multus minuendus est. Sed si poßibile fuerit quiescendum est: quòd si non, ex eo parum minuatur, & in corpore sanguis ut thesaurus recondatur ad phlebotomiam faciendam si apparuerit, & uirtus conseruetur ad resistendum in crisibus. Optimum profecto nobis medicum & solertem proponit Auicenna, quem uult futuram crisim adeò à longinquo agnoscere: ac propter crisim quam certo fore sciat, atque eam longo post tempore, uenæ sectionem dimittat. Sed esto huiusmodi aliquis adeo sagax: quæ nam est uir optime ea multitudo quam tu adeo times, & qua uacuata, nullo modo criticos motus ferre posse speras? Qui enim (multum & paucum) ea uerba dicit, nihil profecto nobis certum affert. Sed nos insuper anxios semper præ timiditate relinquit. Præterea scire uelim quid nam citius promptiusq; crises promoueat, quàm eiusmodi euacuatio? quod & Galenus testatus est, dum ait, Illico & sudores,

ſudores, & uentris excretiones ſequi. Idcirco & quum multitudo adeſt, atque ea ratione morbus concoqui contumax: neſcio ego quid nam breuiorem eum reddere poßit, quam uacuatio multa. Cæterum ſi morbi longitudinem, & longinquum iudicium, non quidem præ multitudine, ſed ex humoris qualitate ſuſpicaberis: cur nam criticæ illius pugnæ & uehementium motuum meminiſti? quum minime ſoleant huiuſcemodi ægritudines, eo modo terminari.

Proſequitur deinde, ac ueluti nouo facto principio inopinato nobis proponit corpus ſanguinis miſsionis egens, atq; inquit, Si multum præterierit tẽpus ex quo minutus fuerit, & in hyeme fuerit conqueſtus, quod ſe quaſi fractum ſentiat, minuatur. Verum ne forte hoc audẽtius fiat quàm oporteat, nos ſemper parcitatis admonet, dicẽs: Et ſanguis pro theſauro recondatur. Quo loco fractionis nomẽ nihil aliud mihi ſonare uidetur, quàm uniuerſam laßitudinẽ. Ita enim frangi ſe ſentit, qui horrorẽ aut rigorem patitur: ſicut & qui tenſiua laßitudine affectus eſt. Si igitur his uerbis ſolummodò tenſiuam laßitudinẽ ſignificare uolebas, quippe quæ ſolũmodo phlebotomiæ ſit egẽs, per fractionis uocabulum non ſatis aperte propoſitum monſtraſti, alia nanq; & potiora ſigna afferre oportuit: præcedentem inquam uictum, tumidum corpus, inflatas uenas, pigritiem, ruborem, atque eiuſmodi. Sit igitur hæc tua tenſiua laßitudo, quid nobis his uerbis præcipis? Parcè (inquis) ſanguis mittendus eſt. ego uero quo parcius mittẽdũ ſcias, ſolo uictu corrigi poteſt plenitudo: nedia ſcilicet, exercitio, frictionibus, cæteriſq; quibus ad

obesos usus est Galenus. Non erat igitur adhuc mittendus sanguis: sed quando magnum immineret periculum, atq; hoc in uere: & tunc nequidem parcè, uerũ abundè: quare hoc in loco nihil nobis notatu dignum affers.

PLus fortasse quàm decuit phlebotomiam laudibus extulerat. Itaq; ex aduerso nocumenta quædam in medium affert, quibus ea quæ dixerat confirmet, nempe parce mittendum sanguinem: Vide, inquit Auicenna, quantas nobis secum ferat incommoditates uenæ sectio. Primum enim naturam retinet, hoc est uentrem cohibet: cacochimiam gignit: syncopem ciet: quis igitur ea unquam audeat uti? Verum quod nos solatur hoc, neq; hæc omnia ratione firmasse, neq; admodum scitè loquutum hominem, dum non satis aperte dicit, quæ nam phlebotomia hæc mala afferat, quæq; uitanda sit. Primum enim non est ea tanta tractio, ut uerisimile sit, à uentris partibus penitus humores auertere. Quod si experientia hoc dicit inuentum, nos oppositum ex Galeni experientia, & nostra quoq; in medium afferemus: quod scilicet ad ipsam sequatur uentris excretio, & soluta aluus, quam natura onere leuata molitur. Quod si retinet, non erit profecto ex ea tanta uentris siccitas, ut solo clystere corrigi nequeat. Quare uel nocumentum nullum est, uel adeo leue, ut ne utiquam adduci oportuerit. Cæterum quid de cacochymia dicemus? quam ex multa sanguinis missione fieri dicit. At qua nam multa? ita enim indistincte locutus es, ut supra diximus, ut inde factum sit, ut tui studiosi, ubi quartam aut quintam unciam transcenderant, atq; in quolibet pariter corpore, iam multam factam esse sanguinis

guinis detractionem conijcerent, nempè qui Thesauros toties, toties item Caue, toties item Pericula imminere audierant: quorũ plurima à nobis nostrisq; risu potius prosequenda erant.

Debilitatur inquit uirtus, atq; ex eo malũ corporis habitum gignit. Fatemur & nos, plurimum sanguinis fluxum, seu sponte fuerit, seu casu aliquo, aut etiam arte, & ad cachexiam, & ad hydropẽ quoq; perducere posse: et nos pluries uidimus in maximis emorrhoidarum, & menstruorum, narium quoq; profluuijs. Sed quis unquã adeo fatuus artifex existat, ut ad hæc perducat? Proponat mihi Auicenna medicos, nõ autem temerarios & indoctos homines: facient igitur multam sanguinis mißionem, neq; ex ea talia sequentur nocumenta.

Quod uero tertio de syncope addit, mirum est, quantum parui faciendum sit: neq; enim syncopes nomen aliter audiendum est, quàm leue quoddam animi deliquium, quod & assurgente ægro quandoq; accidere solet, tu uero horribili hoc tuo uocabulo, mortiferam illam syncopẽ significare uideris, ut omnes quàm longe à uenæ sectione fugere cogas, si qui adeo stolidi sint, ut leuißimis uerbis credant.

De perturbatione uero, quam dicit secum ferre minutionem, quid dicam nescio, nec conijcere possum, quid nã his uerbis sibi uoluerit Auicenna. Tranquillitas enim, quiesq;, non perturbatio, seu agitatio eam insequi solent: quod & Galenus testatur, qui pro calore, refrigeriũ: pro inquietudine, quietem: pro uigilijs, somnum succedere uidit. At dum fit (inquies) perturbatio accidit: dum uero

facta est, quies. Primum ego neq; hoc uidi, neq; aliquem uidentem audiui. Sed nec ratione ulla persuadeor hæc crèdere. Quòd si temere perturbatio accidat, post breue tẽpus succedet tranquillitas, neq; enim uel horæ centesimã, hoc opus occupat.

Ne utiquam silentio prætercam: uerba quædam non aliter dictis dicendisq; annexa, tantaq; affinitate, quãta foret si mespilo castaneam aut iuglandem insereres, ea sunt quã breuissima. Phlebotomia (inquit) & colica raro simul eueniunt. Mirabar quondam hunc canonem, neque imaginari poteram, ut uir satis mẽte constans adeo intempestiue, adeo abrupte, adeo indocte hæc proferret. Porrò si de coli dolore hic mentio futura erat, cur non inflãmationis, quæ in colo quidem raro, in tenui autem intestino sæpius euenire solet, meminit: hæc enim cum uenæ sectione aliquid habet affine, ab ipsa enim curatio. Sed quid iterum sibi uult uerbum illud euenit? quasi uenæ sectio, casu quodam accidat: non autem arte, atque consilio.

Sequitur post hæc corpora quædã proponere, quibus haud probe conuenit phlebotomia, quippe quæ ita affecta sunt, ut eam minime suadeant. Inter cætera uero prægnãtes proponit. Quæ res non ita temere admittenda uidetur: quin potius nonnihil cõsiderationis habet. Neq; enim uidentur prægnantes omnes uno ordine excipiendæ: nam & habitus corporis, & ætatis, & quã prope partui sint ratio habenda esse uidetur, quemadmodũ in omnibus aduersantibus indicationibus fieri solet: scimus enim timore aborsus solummodo præcepisse Hippocratem, ne prægnanti

gnantibus sanguis mittatur: aborsus uero timor penuria sanguinis accidit: at non ex quacunq; uenæ sectione, nec in quocunq; corpore, neq; iterũ quocunq; conceptus tempore penuria sanguinis continget talis, ut fame absumatur fœtus. Non igitur probarim eum, qui ita indistincte, ac sine ratione loquatur: est enim nobis plus erroris quã doctrinæ occasio. Quòd uero fluentibus mẽstruis iterum non sit uenæ sectio tentanda, non illico admittenda sentẽtia uidetur. Si qua enim ratio ipsius adduci possit, ea est, quod dum natura uacuationes molitur, nequaquam arte laborandum est. Primum itaque oportebat Auicennã nobis addidisse, quod si mensium profluuium tardum sit, aut imminutum poterit per uenæ sectionem iuuari, secando inquam interiores talos. Præterea & auertendi gratia quandoque etiam superiores uenas secare conuenit.

Proponit deinde crudis repleta corpora, eaq; à uenæ sectione arcet, Quoniam inquit si minueris, non maturabis eos, & timetur ne æger perdatur. Raras solet demonstrationes afferre Auicenna: quod siquas forte fortuna attulit, hæ ne minimum quidem fidei: nedum scientiæ, parere queunt, qualis ea est: qua sententiam suã modo cõfirmat. Verum ut res amplius innotescat, quoniã consideratione digna est, uideamus unde nam hic homo hæc documẽta sibi assumpserit. Inter cætera febriũ symptomata numerat Galenus in terapeuthicis libris syncopen: quæ ex crudorum copia ortum habet; quam quidem & omnium curatu difficillimam statuit. Hanc inquit nec sanguinis mißione, nec purgatione etiam curari posse,

scilicet

scilicet propter syncopes metum, ac subinde mortis. Ille idem Galenus, qui ea dixerat, in libro quē de uenæ sectione inscribit, modum docet, quo talia corpora uacuari possunt, his uerbis: Ita nimirū et me fecisse uidistis, in his quibus crudorum inerat copia, nam pauculo sanguine detracto, protinus melicratum exhibeo, probe coctum cum incidentium medicaminum quopiam, ueluti hyssopo, origano, nepeta, pulegio, ac sic rursum sanguinem minuo, uel ipso eodem die, uel die postero, in quo rursum exhibito propositorum medicaminum quopiam, iterum de sanguine quid aufero, ac rursum tertio die similiter bis. hæc ille. Quæ quidem omnia si probe considerētur, & uera esse, & minime sibi aduersantia cognosces. Quod enim prius dixerat, minime detrahendum sanguinem huiusmodi corporibus causam quidem syncopen afferebat, quæ ægrū eo tempore affligere consueuerat, quum uero syncopes suspitio nō adest, ut quibus os uētris minime affligitur, hos per uenæ sectionem curare docet, posterioribus uerbis. Quū hæc rei ueritas sit, eam tamen minime cognouit Auicenna, quando nec probe Galeni mentem ambobus locis executus est. Sed nec probe dictorum rationē addit, quo circa & Galenicas ueritates nobis omnino occultat, ac suspectas reddit. Primum itaq; non erat ualde operosum, iuxta Galeni dogma, plenitudinem hāc suis notis nobis exponere, quas adeo scite Galenus affert his uerbis: His, inquit, & præcordia inflata, & totū corpus ampliore mole uisitur, quàm per naturā deceat: color item ad albidius et intercute aqua laborantibus similis. Tu uero sicco pede pertrāsiens, doctrinæ ubertatem è medio tollis. Quin & senten

sententia uerborũ, mendacij suspecta est, neq; enim phlebotomia impedit multũ corpora crudis repleta, sed iuuat si ea probe utaris: utêris autem optime, si iuxta ea quæ ex libro de uenæ sectione exscripta sunt, singula facies. Quæ uerba & tu paulò post, nesciens cui nã proposito probè seruirẽt, posuisti: dum dicis, Et si grossi fuerint, antiqui præceperũt, ut biberet ante phlebotomiã, & post ipsam antequã alia fieret minutio, syrupum acetosum subtiliatiuum coctũ cũ hyssopo et hasce. Hæc proculdubio superioribus annectẽda erãt: eratq; tibi signandus locus, ne forte & tu, qui Galeni interpres es, aut incõstantis mẽtis, aut obliuionis merito argueretis, dũ paulò ante dicebas, non expedire uenæ sectionẽ: dehinc paucis interpositis uerbis eã suades. Quæ res optime nos monet, te collectorẽ quẽdã, ac ueluti notariũ Galeni, ac cæterorũ, exscribere quidẽ hinc inde eorũ sentẽtias, quæ nimirũ proposito negocio deseruiãt, uerũ neq; probe digerere eas, neq; autorũ mentẽ satis bene prospicere. Itaq; nec uerũ dicit Auicenna, nõ expedire phlebotomiã hoc casu, nec siquãdo ea minime expediat, ea est ratio quã adducit: quoniam scilicet nõ maturabis eos, uerum ea quã Galenus posuit: quoniam qui eo modo affecti sunt, timor est, ne per uenæ sectionẽ, aut deiectoriũ medicamẽtum syncopen incidãt: pari enim passu uidentur apud eum ambo hæc auxilia procedere.

Imaginatur & aliud plenitudinis genus his uerbis: Quũ uero sanguis alicuius fuerit bonus & paucus, et fuerint in psius corpore multi mali humores, phlebotomia tũc bonũ rapiet, & malũ relinquet. Ex quibus proculdubio patet, uerba quidẽ sibi assumpsisse Auicennã, intellectum

ctū uero minime:huiuſcemodi nāq; ſententiā poſuit Galenus in libro de tuenda ualetudine, uerum quæ hoc loco īnde accepta ſunt,temerè ac perperam,poſita ſunt.Imaginatur ibi Galenus corpus quod quidem in uentre ac primis uenis crudorum copiā congeßit,in cætero uero corpore,hoc eſt in uenis, quæ in totius ambitu poſitæ ſunt, bonum ſanguinem contineri.Huic inquit fruſtra per uenæ ſectionem ſuccurrere tentabimus, quoniam nihil de offendente humore euacuabit:ſed bonum ſanguinem arripiet.Non ergo dicat Auicenna, quū ſanguis alicuius bonus paucus fuerit,multus uero malus:neq; enim hoc imaginari poteſt,niſi ubi in aliqua parte ſeorſum bonus cōſiſtat,ſeorſum uero malus.At impoßibile quidem uidetur, plurimum malū exiſtere,inculpabilem uero eſſe aliquem. Quin potius eo caſu Galenus plurimū quidē bonum ſtatuit,nēpè qui in magnis uenis eſſet:paucū uero quē multitudine ciborum crudorū congeßit. Neq; etiam concipi animo poteſt,phlebotomiā bonum rapere,& malum dimittere,præterquā ubi bonus præſtò ſit,ac ſectæ uenæ uicinus:malus uero in longinqua parte ſitus,quemadmodū Galeno contigit.Verū hæc res adeo futilis eſt:ut amplioribus uerbis non egeat.

Paucis dehinc interpoſitis uerbis,reuertitur ad excipiēdos affectus quoſdā:in quibus haud tuta eſt ſanguinis miſſio,ac primum excipit calidas febres:dehinc & periodos omnes,iterum & morborū initia.Demū grauia quædam ſymptomata,quale ſpaſmus eſt. Primū itaq; de calidis febribus mirādū eſt cur hoc dicat,quū maxime Galeno aduerſetur,qui & uerbo & opere oppoſitū cōfirmauit.In

acu

acutißimis nãq; febribus nullum maius auxiliũ inuenit, ut ipse in cõmẽtarijs aphorismorũ mõstrauit. Insuper in cõtinẽtibus febribus, duo tãtũ auxilia esse testatus est: alterũ quidẽ semper opportunũ, scilicet uenæ sectio: alterũ uero cocto iam morbo, nempè frigidæ potio. Opere itẽ confirmauit quando dũ intollerabili æstu afflictaretur æger, uenam pertudit. Sed & tertio opus suũ optima ratione & recta factũ mõstrauit: Quoniã inquit per huiusmodi præsidia in cõtrarium statum ducitur corpus celerrime refrigeratũ. Quo ergo plus inflãmationis adsit, eo magis huiusmodi refrigerio eget. Tu uero legislatoris more uerba quidem profers: uerum nec rationem affers, nec ueterum obseruantias. Quare minus fidei tibi adhibendum est.

Excipit deinde febres q̃bus aduenit spasmus. Quæ quidẽ sentẽtia ex Galeno accepta est: iccirco uideamus primũ quid sibi Galenus uoluerit: deinde q̃ accurate hic homo Galeni sentẽtias nobis per manus tradiderit. Dicit itaque Galenus, quũ de symptomatibus ageret, quæ febrẽ comitãtur: Sed neq; si quis simul & distentione neruorum laborarit, & sanguinis eguerit mißione, huic tantum semel mittere oportet, quãtũ eguerit morbus: uerũ aliquid quoque accidẽti relinquẽdũ est, cuius causa sæpe sudores eueniũt, & uigilæ molestãt, & uires ægroti deijciũtur. Ipse idẽ qui modo hæc dixerat, secũdo aphorismorũ libro: In maximis doloribus, aut sanguinis mißionẽ, aut uẽtris solutionẽ, usq; ad defectũ animi laudauit, iuxta id quod magis expedire uideretur: ni igitur sibi ipsi, imò ueritas ueritati aduersetur, uidere oportet, quonã pacto ubiq; uera dicat Galenus. Quæ igitur in libro aphorismorum dicit,

cit, in hanc ſententiam uenire uidentur. In fortibus quidẽ doloribus conuenire, uerum non ex quacunq; cauſa, neq; in omnibus, ut ſcilicet uſque ad animi defectũ ſanguis mittatur, aut uenter ſaluatur. Sed eo caſu ſolum, ubi ex inflãmatione aliqua dolor adſit, ueluti auris, oculorum, capitis, ilei. Si uero dolor diſtentione neruorum oriatur, iam primum lædit principium, atq; iccirco mors imminet, defectu uirium, quam ob rem non ſemel tunc totum uacuaſſe expedit, ſed partiri oportet. Sed quomodocunq; hæc ſe habeant, non admodum ſcite nobis hanc Galeni ſententiã proponit. Dicere enim in primis, febres quibus aduenit ſpaſmus, non aliud eſt, quàm de ſpaſmo ſicco loqui, hic enim eſt qui febribus aduenit. Præterea quid à minutione cauendum dicis? hoc enim eſt uenæ ſectionem è medio tollere. Quòd ſi ut alij interpretati ſunt, ita legas ea uerba, minoretur phlebotomia, iam nec adhuc propoſito ſatisfacis, neque enim parcius mitti ſanguinem ſuadet Galenus, ſed non uno impetu, timens uirium imbecillitatem.

Supra pluries dixerat. Ante ſtatum parum minuendum, imò ſi poßibile eſt, quieuiſſe expedit. Sed & paulò ante iterũ in febribus non acutis à principio uenæ ſectionem damnat, iterum & paulò poſt, Caue inquit etiam in febre ſanguinea multam minutionem, etiam à principio, ſed potius poſt maturitatem. Horum tandem uiſus eſt rationem reddere hoc loco, quum ait: Et ſimiliter oportet ut ex minutione febricitantis, cuius febris non eſt ex putrefactione, minoratio fiat, propterea ut ad reſoluendã febrẽ theſaurus relinquatur. Hæc quidẽ omnia inde pẽdere

uidẽtur:

uidentur: unde & plurimi ipsius errores. Galenus nanq; libro artis curatiuæ undecimo, multam sanguinis mißionem à principio detrectasse uidetur, his scilicet qui parũ considerate ea excipiunt. eius hæc sunt uerba: Tãtum sanguinis in omni tum corporis temperamento, tum corporis statu detrahi par erat, quantum supra naturalem habitum fuerat inauctus: uerum quoniã neq; obstructio, neq; putredo, curari per sanguinis mißionẽ potest, ut quæ alia exposcat auxilia, reponi sanguinis aliquid ad curationis spatium oportebit. Sed quomodo hæc dicat, qui alibi usq; ad deliquium ægros perduxerat? atq; id in morborũ initijs, ita enim et suadebat Hippocrates in principijs mouẽdum. Hinc itaque patebit error Auicennæ, & quomodo ueritate dimissa, futilia quædam aggressus sit. Erit igitur constans ueritas apud Galenum, à principio maxime minuendum sanguinem, quod & tu paulò post asseris, dum dicis & properare est melius, nempè quæ fuit sententia Galeni in libro de uenæ sectione. Vnicam autem sanguinis mißionẽ uisus est semper moliri Galenus, nisi aliquid urgeat, atque eam ubi expediat, maximam, præsertimq; à principio, ut omnia ipsius tum uerba, tum opera monstrant. Videamus modo quid sibi uoluerit in Therapeutices libro Galenus: monet ibi nos, ne eadem mensura sanguinem unicuiq; minuamus. Aliqui enim sunt, quos si sanguinis mißione ad animi deliquiũ perducas, uires omnino deijcies. Sicq; uel uita periclitabuntur, uel intempestiue cibare oportebit: quare & tibi proponit pro exemplo corpora quædam laxa, mollia, subalbida, atq; omnino pauci sanguinis, uel imbecillarum uirium. Conijcere itaq;

uerba Gal.

oportet medicum corporum naturas, atq; hac ratione uacuationes moderari. Quædam enim sunt talia, ut si etiam ad deliquiũ perducas, nihil lædes, ita ut & ad crisin usq; durare adhuc poßint: quod serui illius curatio manifestat. Quædam uerò è contra parciori phlebotomia contenti erũt: ita ut ad morbi terminum durare poßint, neq; enim ea ad animi deliquium usq; deducenda sunt. Nec iterũ ex his habes pluries secandam esse uenam: atq; in principio parcius, in statu uero uberius: hæc enim somnia omnino in Galenica doctrina esse uidentur, atq; adeo clara, ut ampliori disputatione nõ egeant. Colligere tandem uidetur suam de secanda uena sententiam Auicenna, ubi & plurimas cautelas affert his uerbis:

Et si fortis inflammationis non fuerit febris, & fuerit item putrida, attẽde decem regulas. Hæc quidẽ in primis proponit, nempè quæ superioribus cõueniunt, ubi & calidas febres exceperat, & putridas in sui principio. Mox decem iubet attendere regulas, quas tamen tribus tantum complecti poterat, Galeni instar, qui tantum tres posuit sanguinis mittendi scopos: morbi inquam magnitudinem, uirium robur, atq; ætatem florentem: quòd si hæc omnia conueniunt, proculdubio sanguis mittendus est. Sunt autem & aliæ indicationes, quæ quidem suam uim habent, non ut uenæ sectionem è medio tollant: sed ut modum aliquẽ ei tribuant, ut maior minor'ue fiat. Tu uero nec quæ primæ forent indicationes monuisti: sed uno ordine eas ponebas, quasi unaquæq; indifferenter æque nos hortari ac dehortari queat, qua re nihil potest esse perito medico indignius.

Quæ

Quæ uero deinde addit, Postea intuere in urinali, & si urina fuerit rubea & grossa, & pulsus eius fuerit magnus, & facies tumida, & febris in suo motu non properet, phlebotoma in hora qua stomachus à cibo est uacuus. Ex his quæ modo proponit, plurima sub uirium robore comprehendi possunt: nam sanguinis multitudinem monstrant, pulsus magnus, & facies tumida. Ea uero quæ de urina dicit, penitus à Galeno aliena sunt: neq; enim ipse somniauit unquam, ullam esse mittendi sanguiuis ab urina significationem, ut quæ nihil aliud monstrant: quã ue nulenti generis coctricem, atque humorum coctionẽ: quo uero rubea magis fuerit, nihil aliud est, q̃ dicere ipsam magis ab idea sanorum distare, atque eo magis putredini attestari. Sed & nobis experientia confirmatum est: dummodo febris ualida sit, & uires ualidæ, etiã si tenuissima extiterit urina, commode uenam secari, ac non minori utilitate, quàm si admodũ rubeat. Quin & tibi ipsi contradicis Auicenna, quo pacto enim si ad phlebotomiam, statum morbi, aut expectare, aut præterire suades, cõsilium ab urinæ rubedine & crassitie sumes: neq; enim cocto iã morbo huiuscemodi apparere potest. Dicamus demum omnia ea, seu plurima quæ hoc loco collegisti, cum falsa esse, tum infinitis extitisse errandi occasionem, & miseris ægris necis.

nulla ab urina mittendi sang[uin]is significatio

Quod uero paulò post addit, quando mittendi sanguinis indicationem ab ipsiusmet sanguinis colore sumit: satis monstrat, quanti ipse faciendus sit. Quippe qui ea quæ priuatim casu aliquo expedire dixerat Galenus, ipse ueluti uniuersales regulas accepit, quum dicit:

Amplius ſanguinis qui egreditur colorem attende, & ſi fuerit ſubtilis albedini attinẽs, ipſum illico retine. Huiuſce modi nanq; uerba ex Galeno proculdubio habita ſunt, ubi in Therapeutica ad Glauconem, atq; in cura quartanæ, ſuadet flauũm ac tenuẽ ſanguinem ſtatim ſupprimi: atq; id non iniuria, ut qui ſi uacuetur, nihil ægrum iuuabit: cũ ex melancholico & craſſo ſanguine potius ægritudo cõſiſtat. At plerunq; accidit, uel quando imminet ægritudo, uel etiam quando iam incœpit uenæ ſectionem opportune adhiberi, non tamen apparebit eo tempore ſanguis, aut colore, aut ſubſtantia, à ſua natura alienus. Ita enim & Hippocrates ſecta cubiti uena, in lateris phlegmone, primo quidem laudabilem mittit: non tamẽ ſupprimit: ita & in febribus ſinochis, priuſquam putredo accidat, ſanguinem mittet medicus, neque adhuc inlaudabilem. Quare neque Auicennæ regula acceptanda eſt, neque ipſam ex Galeno, aut ad ipſius mentem elicere uidetur.

Proponit poſtmodum uerba quædam, quæ etiã in ore omnium eſſe ſolent, quum de uenæ ſectione mentio fit: Et ſummopere inquit tibi caue, ne ægrum ad unum duorum perducas, choleræ inquã feruorem, aut frigidorum cruditatem. Ego uero neſcio quo nam pacto huiuſcemodi cõmentus ſit Auicẽna. Si enim Galeni autoritate hæc dixit, uti ſolet, mentitur; neque enim Galenus uiſus eſt unquam hoc pertimeſcere, etiam in ardentiſsima febre, imò ſtatim refrigerari ægrum, ac uires ſibi aſſumere naturam uidit, nempè quæ unà cum ſanguine etiam bilioſo ſucco exoneretur. Neque enim bilis præterquam in fellea ueſica per ſe conſiſtit. Sed plurima ſanguini admiſcetur. Non itaque perti

pertimescant bilis feruorem medici, dum sanguinem mittunt, solis istius hominis uerbis perterrefacti: Sed potius Galeni operibus inhærentes, atque ipsum imitati, etiam usque ad animi deliquiũ minime formident, ubi expediat. Quod si rationi innixus, hæc dicat, nullam ipse addidit. Quod uero expositores dicunt, Sanguinem ueluti frenum biliosi humoris esse. Si quidem intelligunt, minus calidum ac siccum esse corpus, dum magis sanguine abundat: hoc & nos fatemur: non tamẽ credimus uacuato sanguine, qui iam unà cum bile feruet, reddi ex eo corpus calidius. Sed refrigerari potius, uacuato feruente ac bilioso sanguine, ac naturam illico reliquã bilem edomare, ac per notas uias pellere, q; et opere ita esse mõstrauit Galenus, non autem imaginario, qualia plurima sunt quæ tu dicis. Quod etiam ex aduerso dicit, reddi sanguine uacuato humores crudiores, nullam aliam rationem habere uidetur, præterquam quod concoctrix paulò imbecillior facta sit, atq; eo difficilius concoquit. Verũ addidisse oportuit, non esse in omni sanguinis mißione hoc timendum: sed solummodo, ubi admodum crudis plenus sit æger: cui rei iam supra occurrebat Galenus, quando eum, qui cruditatibus laborabat, uacuare docuit: si enim ita feceris, nequaquam huiusmodi pericula obibis.

Pensitanda deinde hominis istius inconsiderata, atque inconstans doctrina: ut qui toties, tot, & tantis præmißis periculis, à uenæ sectione nos deterrebat, uoluit modo etiam sine neceßitate sanguinem mittere, quocirca hæc manifeste monstrant, quod supra diximus: hunc scilicet paßim colligere uera, falsa, ac demum quæcunque scripta

inuenerat, nullo delectu habito. Sed & ea plerunque cor rũpere, ut de Galeni sententijs supra monstrauimus. Mul toties (inquit) phlebotomia in febribus licet necessaria nõ sit, efficit ut natura, super materiam fortis fiat. Fatemur igitur & nos dum reliqua suadent, in omni febre quæ ex putredine est (ut inquit Galenus) opportune uenam secari, quo saltem breuior fiat morbus, & tunc necessaria quidem erit, non quo de uita aliâs periclitetur æger: sed quia ea ratione naturam concoquentem iuuamus.

Reuertitur postmodum ad ea quæ dehortantur, atq; hæc omnia fere uno capite comprehendit: Caue (inquit) sanguinis mißionem in frigido temperamento, ac regione: in forti item dolore: post coitum quoque, & in ætate quæ est ante quartumdecimum: & in ætate senum. hæc ille. Ex quibus plurima falsa dici, plurima uero perperam accepta, hac uia apparebit. Quæ quidem de forti dolore supra reprobata sunt, nõ expedit nũc iterũ in censum uenire. Sed hæc quæ dicit modò, mentem ipsius aperte monstrant nihil ueri habere, quum omnino atque absoluta uoce phlebotomiam prohibere uideatur. At de coitu quid dicam? aut quæ nam indicatio ea est? ubi enim ualeant uires, nihil medicum mouere debet, siqua exolutio per coitum facta sit, neque enim ex quolibet coitu uires deficere credendum est. Quocirca hoc Auicennæ dictum plurimis errandi causa extitit, ut qui non à uiribus consilium sumerent, sed à uenereis: quæ quidem omnino uenæ sectionem prohibere credebant. Quæ uero de adolescentibus & senibus addit, quando tu uideris has ambas

bas ætates pari passu procedere uelle, haud uerum dicis. Adolescenti enim citra quartumdecimum nunquam, senibus uero aliquando sanguinẽ mittere possumus. Sed & de senibus nihil determinate loquutus, nec ætatẽ signasti, quæ eam prohibeat. Sunt enim & qui quadragesimum annum agunt senes, at non de his intelligendus est locus. Præterea quum adolescentes ordine quodam phlebotomiæ assuescere doces, nequaquam & quos adolescentes dicas signasti, nec bene scimus num ætatẽ quæ ante quartumdecimum est, comprehendas: quando conditiones corporum quas subinde affers, de colore, repletione, & uenarum amplitudine, uidentur suadere medico ut confidat, quemadmodum etiam in sene, & in puero quoque ante debitam ætatem uenam secari, quod tamen omnino negauit Galenus. Cuius rationem si uidisset Auicenna, ipsam proculdubio posuisset, quam libro Therapeutices nono Galenus tetigit, nempè corporis dissolutionem, quæ in eiusmodi ætate abunde contingit.

Quum uero deinde & extenuata corpora, & obesa, seu carnosa excipere uidetur, oportuit fortem craßitiẽ interstinguere: quædam enium cum exilitate uenarum est, qualia ea corpora sunt quæ crassa ualde secundum naturam, dixit Hippocrates, atq; in his proculdubio uera est Auicennæ sententia.

Quod uero addit, Caue ne fastiditũ phlebotomes: sed prolonga ipsum adhoc ut fastidiũ eius digeratur. Videntur hæc quidem uerba esse Galeni, quum pluries dicit, Non esse mittendum sanguinem, nisi ubi ea quæ uel in

uentre sunt, uel in primis uenis, non sint concocta. Quod si hoc modo intelligit Auicenna, optime dicit, ne scilicet crudi humores in uenis ulterius trahantur: uerum signanda erat hæc ratio, nec toties isto libro istudmet repetendum fuerat. Quòd si per fastidium, nauseã quandam, atque ad uomitum procliuitatem intelligat, nõ uideo quomodo omnino ueritatem habeat, plurimi enim ægri sunt, qui huiuscemodi uitio laborantes, sanguinis missione postmodũ melius quo ad uomitum, se habent. Verum tamen est Galenum eos qui ore uentris plurimum affliguntur, propter syncopen, quæ inde accidit, sanguinem mittere ueritum esse: quam rem tu subsequentibus uerbis monstrare uideris, quum de imbecillitate oris uentris meministi.

Suadet deinde Auicenna, quum primum sanguis missus est properandum illico esse, ut de sanguine quod reuolutum fuerit, restauretur. Sed si fuerit fortis, cum assatura inquit carnis, quoniam si digeritur dicit ipse, multum nutrit, & bene. Regula hæc admodum mihi suspecta est: neque enim quæ uacuata sunt corpora ad ea reficiẽda properare debemus, tum quia ut dicit, quoniam paulò imbecillior existit cõcoctrix uirtus, tum quia periculum imminet, ne cruda adhuc in uenas præ inopia trahãtur. Quare satius duxerim, aut ptisanam aut eliquatas carnes ubi expediat, atque omnino quæ facilia concoctu sunt ægro exhibere: quo huiusmodi pericula fugiamus. Sed & siquis tua nerba ita absolute atque uniuersaliter prolata intelligat (tales enim solent disciplinarum propositiones esse, ut per se & in omnibus ueræ sint) etiam in acutis properabit ut nutriat, tuo scilicet confisus consilio.

Quod

Quod quàm absurdum sit, alij uiderint.

Docet deinde nos conditiones quasdam bene exercendæ phlebotomiæ, atq; inter eas suadet primum non uno impetu fieri, dicens: Et ad summum melius est ut phlebotomiæ uices sint multæ. Quod quidem consilium non modo inutile est, uerum & damnosum: quando si eo modo facies, sanguinem quidem mittes, uerum multo minus ægrum iuuabis: quod & abunde Galenus docuit in libro qui de uenæ sectione inscribitur.

Quid est iterum quod deinde dicit, Et phlebotomia quum non est necessaria choleram rubeam ebullire facit? quum paulo ante iuuare eam in febribus dixerit, absq; eo quòd necessaria sit. Quum iterum pluribus modis dici queat, non necessaria, tu tamen uniuersaliter hoc accidere asseris: nescio ego quàm uere: erit enim non necessaria corpori omnino sano: erit & ægro quandoq;, si parua ægritudine laboret, non necessaria. Nescio tamen cur omnino malum hoc insequi debeat, uenæ sectionem illam: ut bilem faciat efferuescere. Sed & de his supra aliàs mentio fuit.

De Melãcholicis uero & Epilepticis dicis in hora qua solet somnus irrepere, media scilicet nocte, mittendum eis sanguinem esse, atq; oportere ut gladius acutus sit, atq; angustum uulnus, ne sanguinis multi nimius exitus accidat. Quamuis & hoc uniuersaliter bonum esse dicas, ubi iterare opus nõ sit. Mihi uero scitu dignum uidetur, cur nam eam horam eligas, atq; ægro quietem tollas: quodcunq; enim pro causa afferatur, imaginariũ proculdubio erit, ac facile. Galenus quoq;, quamuis magna urgẽte necessitate, in mittendo sanguine noctem non pertimescat,

manc tamen fieri suadet, nec quum de melancholicis uacuandis differit, aliquid huiuscemodi docuit. Quæ uero addis de angusto uulnere, hanc uideris rationem reddere, ne inter dormiendum uulneris solutio accidat, ac exinde sanguinis profluuium: quasi non pluris faciendum sit, quòd per angustum uulnus crassus sanguis minime uacuari queat, quod & tu aliàs dixisti. Quasi etiã non possit ministrorum diligentia huiusmodi periculo obuiã iri. Dicere etiam uniuersaliter hoc uerum esse in omnibus qui secundatione non egent, omnino falsum est, in plurimis enim febribus processu temporis crassescit sanguis, atq; ex angusto uulnere non nisi difficulter egreditur.

Hæc sunt uiri artis medicæ studiosi, quæ inter cætera multa adnotasse decreuimus, neq; enim ab initio ita Auicennæ uerba insectari cogitauimus, ut uel minutiæ omnes in censum uenirent: iam enim ad tædium usq; puto, huius hominis meminimus, ea uero quæ attingere uisum est, & Galeno, & ueritati, & sibimet quandoq; aperte dissentire uidentur. Scio tamen fore quosdam qui proterua quadam obsistentia, respondere enitantur, ac suis glossis, fulcimentisq; inanibus ea tueri: quæ omnia si quis prosequi uellet iam eorum instar & ipse sophistarum habitum indueret. Quanto satius est Galenum imitari, qui nullo pacto ueretur Hippocratem dimittere, atque ipsum erroris incusare quandoq;. Sed & nos iterum, non minus Galeno obuiam ibimus, siquando mens ipsius parum firma appareat: atque hoc puto, optimi uiri, & cui ipsum scire cordi sit, non autem inanis quædam gloria, officium esse. Valete.

LEONARDI GIACHINI MEDICI GALENICI LIBELLVS.

Cuius est scopus, quantum detrimenti bonis literis afferat, omissa ratione, aliorum scriptis temere subscribere.

LEONARDVS GIACHINVS PETRO FRANCISCO PAVLO, MEDICVS MEDICO, SAL. P.

SAEPE *cum unà eſſemus, doctiſsime Paule, eorum curam ac diligentiam deteſtati ſumus, qui adeo ſcriptorum quorundam nominibus ſe mancipant, ut ratiocinio omni poſthabito, ſolis eorũ autoritatibus innitantur, his ſolis credant: hos enim ſtultiſsime credunt, quæ ſcripſerint, haud quidem temere, uerum ratione ac longa experientia ductos, præcepiſſe: proinde uel leui eorum aſſertioni, habendam fidem. Aſſerebas tu multa hinc bonis artibus detrimenta oriri: Ac primũ mentis torporem quendam, atq; ignauiam parari: Sicuti enim exercitium corpora firmat, ac roborat, ita & ratiocinatio crebra intellectum. Dehinc & ſimpliciſsimam quandam credulitatem inde gigni, quæ in multos tandem ducit errores. Siquis nãq; nullo delectu habito, quæ unuſquiſq; literis mandauit, non conſulta ratione, credat: Si iterum unicuiq; qui ſe expertum aſſerat, facile concedat, plurimum tandem ſe falli comperiet. Oritur demum & ex eadem radice temerarius affectus quidam, quo eò inſaniæ perueniunt homines, ut ueluti cæci nec uerum à falſo, nec probabile à neceſſario ſatis interſtinguant. Cuius culpæ haud uideo immunes eſſe noſtri temporis literatos, quos appellant, præſertimq; Theologos: utpote quibus tantùmodo*

tũmodo

tummodo negotium est iurgijs, clamoribus, armis quoq; (si per plebem liceret) hi quidem Scoti cuiusdam dicta defensare, alij Thomæ, alij alterius, prout cuiq; libido est. Hinc nos quoq; eadem tetigit labes, tum in philosophia, tum in medica disciplina. Fœdarunt enim & nostros animos suo contubernio monachi. Hinc tot tantaq; ingenia in Auerrois cuiusdam cœno uolutata, purißimis relictis aquis, sibi adeo placuere, ut mera atq; incorrupta ipsius barbarißima uerba, in delitijs haberent. Ego uero nescio quo afflatus numine, à studiorum meorum primordijs, horum curam aspernatus sum, utpote quàm longe à ueritate hominem auertere arbitrarer. Quo factum est, ut semper uile duxerim, ac rudi intellectu dignum, absq; ratione procaci quadam temeritate, unicuiq; scriptori subscribere: atq; in re medica præsertim, in qua nõ modo ueritatis inquisitio, uerum & opus quæritur. Neq; ego is fuerim, qui omnino ueterum autoritati detrahere uelim: sed qui nullum uetustate autorem fieri cẽseam (quod quibusdam placere uidetur) sed raris ingenij dotibus, firmis demonstrationibus, clarißimis inuentis fieri admiratione dignos homines, atq; in autorum censum uti asciscantur, mereri: quales Hippocrates, Aristoteles, Galenus, Theophrastus extitere. Nos itaq; nec Galeno uelut autore utemur, quòd is pithia nobis oracula depromat, sed quia recta ratione ductus plurima inuenerit, plurima item ueterum monumenta illustrarit. Quæ omnia postmodum experientia comprobauit. Num igitur ea ratione, quod uetustatem sapiant, præcones quosdam in pretio habeam? Auicennam scilicet, Mesuem, Serapionem? Nequaquam.

Quoniã

Quoniam eos neq; etiam recte exſcribere, ſed cuncta dehoneſtare, demonſtrationes peruertere, omnia mendis replere uideas. Viderat hæc iam pridem Nicolaus Leonicenus, atq; Auicennæ errores multos detegere conatus: tantum abeſt ut quippiam bonas artes iuuerit, quin potius uelut inſanum ludibrio habebant, ac ualere omnes ſinebant, tanti eſt inter fatuos ſapere. Acceßit noſtra ætate Ambroſius Nolanus, quem ſatis laudaſſe haud potis eſt noſtræ, qui & aduerſus barbariem, tum in philoſophia, tũ in medicina acriter dimicauit. Nouißime uero Manardus uir promptißimi ingenij, primum ſe in acie cõſtituit, pro bonis literis certaturus. Non minor & Academiam noſtram lubido tenet, quin potius ſpretis pecunijs & ciuili potentia, noctes dieſq́; huic negocio inſiſtentes, tanta (puto) effecimus, ut bonis literis & nos momenti nonnihil attulerimus. Vt igitur pro uirili cõmuni uoto ſatisfaciam, dum alia & ea quidem maiora cudimus, Statui tibi, qui iamdiu in arena hac fortißime decertes, paucula quædã ſcribere, quibus unicuiq; ſatis liqueat, quàm turpe ſit, ac pernitioſum, ratione neglecta ſolis autoritatibus inniti.

Vale.

ADVERSVS
MESVEM, ET VVLGARES MEDICOS OMNES.

Corpora noſtra eadem ferre poſſe auxilia, quibus ueteres uſi ſunt, idq́; cum ratione, tum experientia comprobari.

NOSTRAE *tempeſtatis corpora uim fortiū auxiliorum non ferre amplius, dudum nō modo medicis, uerum uniuerſæ plebi cōfeſſum eſt. Medicis quidem, ut ſi qua poßint, ab inſcitia famam ſuam tueātur: cū magnos ac difficiles morbos uelut inſanabiles relinquunt. Cæteris uero non aliter eorū uſum formidantibus (ut qui medicorum uerbis perterriti ſint) ac ſiquis Aconitum, aut Ixiam potui daret. Huius ſententiæ autores ſunt quidam nullius eruditionis uiri, quanquam & Euangeliſtæ cognomentum adepti ſint, nec ſecus ac prophetæ cœlitus mißi, uulgò audiri ſoleant. Tanta eſt hominum ſtultitia, quibus ſemper mos eſt, externa admirari, atq; omni ſtudio proſequi, propria uero ac familiaria deſpicere. Vide quem nam hominem ſibi ſectandum medici proponant. Hic cum totis uiribus atq; omni ſtudio in rectam pharmacorum compoſitionem intendederet, modū excogitauit ſubinde, quo ſimplicium medicamentorum uires reprimeret, roboraret'ue, prout cuiq;*

Carpit Mesuen

opus erat. Verum tantum abest ut quippiam horum probe assequutus sit, ut primũ nec medicamẽtorum, quæ sibi cõponenda statuit, ullam methodum, ullas'ue indicationes sibi proponat, adeo ut per insomnia, seu Deorũ oracula reuelata putes. Quin nec uel minimã quoq; partẽ simpliciũ, quibus utendũ erat, satis nouit. Porrò ea ratione tantummodo, ipsum Euãgelistam extitisse noui, quod præco nuncius'ue alienorum esset. Innitebatur miser Auicennæ, (nõ aliter quàm si Dolichis phaselisq; cucurbitã admoueres) cũ Aloen uenas aperire psilliumq; interanea ignea habere, extimas uero partes, algentes diceret. Dum iterũ hebenotrichum uentrem soluere indubitato assereret. Demum quoscunq; errores forte fortuna inuenerat, gratis in suum exscribebat librũ. Sed de his hactenus. Neq; enim is sum, qui candidißimi Manardi laborẽ, quem in hoc nebulone impendit, frustratũ iri uelim. Itaq; ad id quod initio propositũ erat, reuertamur. Hanc rem neq; experimẽto, nec ratione compertam ait: uerum sibi petit iniurato credi, sola sui nominis autoritate fretus. Quanquam tametsi se expertum hoc diceret (succumbere inquam ualidis medicamentis nostrorum uires corporum, ac iam naturam longo confectã senio defecisse) haud scio profecto quanta sit huic adhibenda fides. Noui ego hominum mores (barbarorum præsertim) atq; ingenium. Quanta iterum sibi exposcat experientia noui, ac iudicium quod ea duce capiundum est. Non aduertebat his diebus bellus quidam senex, quiq; optimus medicus sua ætate habitus est, quàm parce, quàm caute, cuiuspiam experientiam iactasse oporteat. Quum enim sorte quadam de nigro ueratro mentio

Nigrum helleborum.

incidisset: Absit (inquit) ut unquam aliâs audeam nigrum helleborum cuiquam potui dare: eo quod semel inunctus capiti, uomitiones ualidas ciuisset. Num igitur eadem ratione & Mesues sua quæ dicit expertus est? Fortaßis: pleraq; enim falsò ab eo experta dici, compertum est. Nos igitur contra in medium afferemus, nostræ ætatis corpora, medicamentorum, quæ ipse formidolosa dicit, uim sine noxa ferre, dummodo probum nacta sint medicum: quiq; opportune morbo fieri obuiam sciat. Nam & nos nigro ueratro multos purgauimus, semperq; eo felicißime usi sumus, seu admixtis alijs, uel etiam solo in catapotias con formato. Nonnunquam etiam albo in ualidis corporibus, grauiq; morbo, qualis is est, quem modo Gallicum dicūt. Nam quid de Pithiusæ radice dicam? quid de Oleastello herba aut Daphnoide? Neq; enim horum omniū uis, magis nobis uerenda est, quàm Galeno: qui comitiales multos, & pueros quoq;, ueratro se sanasse innuit. Est autem puerilis ætas præ cæteris purgantibus pharmacis alienißima: ut quæ conuulsionibus facillime capiatur. At Galeni atq; Hippocratis tempestate, inquit Mesues, hoc facere licuit medicis, propter corporum robur. Qua in re uirum hunc lubens sciscitarer, unde nam huiusmodi imbecillitatem compererit, aut qua ratione id dicat: num ex heroum fortitudine hoc coniecit: num ex hominum in laboribus patientia? num olympicas ostentat uictorias? num athletas? Ridicula profecto, nec confutatione digna foret hæc ratio, apud eos præsertim, qui ueterum res gestas nostris cōferre sciāt. Neq; enim aut militū fortitudine, aut æstus, frigoris, famisq; tolerantia, uel minimum cedūt. Adducet

puto

puto in medium uitæ longitudinem: ut quam imminui ſubinde uideat. Ego uero, ſiquidem ex hiſtoria tibi exempla quæras, nihilo minores uitas modo comperio: dum nulla ſit ex regione uarietas: neq; enim Indos modo Italis contulerim. Erãt Plinij tempeſtate, erant & multo antea Ariſtotelis, celebres ætates, ſiqui nonageſimum, aut centeſimum annum attingerent: quam tamen metam, hodie plurimi tranſcendunt. Porrò ſi iuxta temporis decurſum uitæ decreſceret terminus, profecto hoc circa mũdi æternitatem, aduerſus Ariſtotelis ſententiam demonſtraret. Si enim ætatis imminutio temporis fluxui proportione reſponderet, iam infinite modicam uitæ duratione extitiſſe, neceſſe foret. Quare proculdubio pro falſo repudiandum eſt, id quod ab initio propoſitũ fuit, nempe deteriora uiribus eſſe noſtræ tempeſtatis corpora. Quam rem abunde nobiſcum experientia noſti (ut nos quoq; aliquantiſper experientiam oſtentemus) ut qui præter cætera, quorum pauloante mentio fuit, & uenæ quoq; ſectione abũda uſi ſumus, atq; id citra diſcrimen: quin & exactã illam uiuendi formulam, ueteribus quidem familiarem, neotericis uero neq; ipſo nomine notam, inſtituimus. Quo factum eſt, ut iam criſes multæ appareant, ac uelut nouus naturæ ordo, ægris feliciſsime faueat. Cum antehac uel pharmacis actitata, uel intempeſtiuo uictu impedita, nullas oſtẽderet, aut admodum raras, easq́; non niſi in ruſticis atq; infima plebe, ut qui nec pharmacorum multitudine, neq; ciborũ aut potionum, fatigari, aut impediri quirent. Verum res hæc aliàs monſtrabitur. Nunc uero nouo inſuper facto principio ad Auicennam me uerto.

Non bene ſuadere Auicennam ſanguinis miſ=ſionem partiendam eſſe neq; probe noſſe, quādo ſemel totum, quando ſecus uacuaſſe expediat.

SAtius ducit Auicenna in febribus ſanguinis miſsionē non uno impetu fieri totam, ſed in partes diduci: atq; hoc ea ratione, ut ſanguis quidem uacuetur, corpus uero non admodum patiatur. Proinde *& plurimi noſtræ tem=peſtatis medici hac ratione moti, atq; huius hominis autoritate, non niſi per eam, quam ſecundationem dicunt, ſan=guinem mittunt, ne ſcilicet ad quartam unciam deficiat æger.* N*am de mittēdi ſanguinis quantitate, ne ſemel qui=dem unquam exemplum poſuit: quo ſatis ſciremus, quæ nam ſit ea ſanguinis detractio, quam adeo pertimeſcat: & quid nam in prima, quid in ſecunda detractione aufer=re ſuadeat.* V*erum de mittendi ſanguinis quantitatis me=ta, alias diſputatio erit: nūc ad propoſitum ſcopum reuer=tamur.* S*i intellexerit noſter* A*uicēna, ſeruandā eſſe in ſan=guine mittendo hanc regulam, eamq́; perutilem ægro eſſe (hoc enim uerba ſua præſeferre uidentur, quando ueluti ſermonem claudens ait,* Ad *ſummum melius eſt ut phle=botomiæ uices ſint multæ, quàm ut eius quantitas ſit mul=ta: ſed & communis ſchola hanc uerborum ſententiam opere quoq; confirmat: nihilq́; eſt in ſanguinem mitten=tium ore frequentius) tantum abeſt ut quippiam utile no=bis proponat, ut neq; uerum ſit quod dicit, nec* G*aleno iterum, aut rationi conſentaneum.* Q*uin nec ſibimet, ut qui alias horum immemor, uacuationem integram (nem=pe uſq; ad animi deliquium) ſuadeat.* Q*uæ nimirum mon=*

strant nil firmum, nil ratione duce scripsisse eum, uerum phanaticorum more aliena loqui, sibi profecto nõ intellecta. Quod igitur uerum non sit (præterquam casu aliquo ut mox dicemus) ipsa docet experientia: sed & Galenus multis monstrauit exemplis, & citas fieri & tutas sanitates, dum uires ualeant, ætas consentiat, sitq; morbus magnus, si affatim simulq; corpus uacuetur. Nec iterum ratio deest, quam pluries tetigit Galenus. In cõtrarium, inquit, statum agitur corpus celerrime refrigeratũ. Febris nanq; calor est. Porrò ea ratione refocillata natura, promptius ac celerius quæ reliqua sunt excernit, morbiq; solutionem aggreditur: ut Galeni exẽpla declarant: quæ libro Terapeutices nono, posuit. Herus enim ilico (ut qui citra putredinem febriebat) seruus uero ad primam septimanã, febre liberatus est. Neq; id mirum, quoniam non sola uacuatio febres finit, quæ ex putredine sunt: inquit Galenus libro undecimo. Non igitur perpetuo uerum est detractionum numerum augẽdum esse: uerum quum reuulsionem excogitamus, aut quum minus uires ualent, ita enim nos Galenus docuit. Quod autem reuulsio hoc exigat, ea est causa, quoniam scilicet assuescit natura illuc sanguinem transmittere, quum per tẽporis interualla, quasi reuocata sæpius sanguinis quadã attractione, extiterit: ubi uero uires labant, poterũt intermedio detractionũ spatio refici. Quare & tũc non ideo secũdo detrahimus, quò sic expediat magis, sed quoniã non omnia ita se habente ægro ad uotum peragi possunt: haud scilicet consentiente uirtute. Audi igitur Galenum rem hanc his uerbis declarãtẽ, Cæterum ubi feruescentis sanguinis copia adest, acutissimam

Detractio quãdo iteranda.

accendens febrem, subito ac simul uacuare expedit, uel ad animi deliquium usq;, uirium modo inspecto robore. At nō negaret hoc (inquient) Auicenna: uerum nos undiq; cautos reddidisse uoluit, ne forte imprudentes aliquando pro animi deliquio, mortē asciscamus. Ego uero prius uelim ad prudentes uigilesq; medicos se uertere Auicennā, atq; ad eos loqui, quibus tametsi sanguinē ad deliquium usq; mittendū suadeat, uires tamen accurate cōsulent, ac iuxta earū robur uenæ sectionē molientur. Quod si post hæc huiuscemodi dixisset, Cōsulo iterū minus exercitatos, naturaq; minus prudētes medicos, adeo copiosam sanguinis missionē, si simul fiat, formidare, ut quibus minus perspectæ sint ægrotantis uires, recte atq; ex usu loquutus foret. Verum hoc uerba eius nō sonant, neq; in hanc sententiā apud nostrates medicos hactenus accepta sunt, sed uoluisse eum ex iterata sanguinis detractione eandē quidē utilitatē, minore tamen discrimine parari: quod nos negamus. Verum enimuero non modo in superioribus uerbis, quæ scilicet incēsum uenere, se nobis suspectum præstitit Auicēna, uerū ubi de putridarū curatiōe agēs, ita inquit: Et cōsiliū meū est, ut phlebotomia dimittatur quoad possibile est: sinautē, tūc multiplicatio numeri melior est multiplicatione quantitatis. Hæc enim aperte ostendunt huius extitisse sententiæ, atq; omnino ipsum mēdacij arguunt.

Limitatio dictorum Auicennæ.

Calidissimas febres uenæ sectiōe curādas aduersus Auicēnā, neq; insup timēdā esse bilis efferuescētiā. q demū morbi magni sint apud Galenū, quos pluries uenæ sectiōe ad animi usq; deliquiū, curat.

in

IN calidiſsimis febribus uenæ ſectionem auerſatur Auicēna, nosq́; (ut ſibi uidetur) utiliſsime admonet; ut qui magnum immunere periculum his ſciat, ſiqui ſecus facere audeant. Sunt autem uerba ipſius eiuſmodi: In febribus autem à minutione cauendum eſt, quæ uehementis ſunt inflammationis. Quin & paulopoſt, (ne forte per ſomniū ea ſcripta putes) dum plurima excipit, quæ à mittēdo ſanguine nos dehortantur; adiecit: Etſi febris fortis inflammationis non fuerit, ſanguis detrahatur: nec minus, acutas omnes excepiſſe eo uerbo uidetur, ubi ait, Et febris in ſuo motu non properet. Quòd ſi rationem conieciſſe liceat, qua ſanè permotus, hæc dixit, ea eſt proculdubio quam alibi innuit, Ne ſcilicet bilis efferueat: hic nanq; feruor, & febrem augebit: & ſymptomatis corpus afficiat. Quis igitur non contremuſcat, audiens adeo elata atq; imperioſa uerba? Caue ne ægrum ſanguinis miſsione ad alterum perducas uel ſcilicet ad bilis feruorem, uel omnino cruditatem. Cæterum quod nobis admodum dolendum: id eſt, parcum nimis extitiſſe Auicennam, nobisq́; incertum reliquiſſe, quis nam ſit is terminus, præter quem in eiuſmodi mala atque adeo grauia pericula corruunt homines. Vidi enim ego medicos pleroſque ex his, qui experientiam iactant, canos oſtentant, ſe Aeſculapios prædicant, nulla alia ratione permotos, quàm quia ita dixit Auicenna, ſanguifugos adeo, ut pluries, prius ægrum mori ſinant, quàm hoc auxilij afferāt. Porrò ſiquando (uel ut omnia tentaſſe, et nil opportunū dimiſiſſe uideantur: uel ſi magna urgeat neceſsitas) ſanguinem detrahunt, ne tunc quidem ſextam unciam tranſcendunt,

dunt, ne scilicet huiusmodi pericula temere subeant; atq; interim dum incerta mala euitare cõtendunt, opportunis destitutus auxilijs deficit æger. Quare & non modicus nobis accreuit labor: (dico autem his qui frugiferas una sectamur Athenas, proiectis barbaris, de quibus siquãdo dabitur scribendi occasio, non erit difficile monstrasse, ne ullum quidem doctrinarum genus uel leuiter attigisse) quum aduersus mala horum seminaria, pugnãdum foret. Iamdiu enim incrementa suscepere, suos nacta cultores, qui adeo imperitum uulgus, quo suam tuerentur inscitiam, atq; secordiam, sæpius uero & prauitatem, perterrefacere cœperunt, ut iam non sit amplius ueritati locus, eamq́; auersentur plurimorũ aures. Hanc enim esse assuetudinis uim dixit Aristoteles, ut ueritati quoq; præualeat. Cæterum ubi satis superq́; Auicennæ sententiam declarauimus, superest ut ex Galeno, quædam in censum ueniãt: quo scilicet lucis comparatione, & cæcis quoq; innotescant tenebræ. Is itaq; primos nobis mittendi sanguinis scopos, morbi magnitudinem posuit, & uirium robur, unà & florentem ætatem. Quanquam ea quæ ab ætate sumitur indicatio, quæ item à corporis habitu, seu ambientis statu, haudquaquam prima ratione, sed uiribus mediantibus indicare uideantur, quas scilicet uel robustas esse, uel languere, uel facile lapsum iri demonstrant, qualis ætas puerorum est, & calidum ambiens. At quos nã (inquies) magnos morbos appellat Galenus? uiscerũ inquam inflãmationes, dolores ualidos, febres ardentißimas, uulnera quæ in articulis, atq; huiusmodi multa, quæ apud eum triplici genere cõprehendi possunt. Alij nanq; talẽ obtinent naturam,

[Margin: Scopi mittendi sanguinis.]

[Margin: Magni morbi qui.]

naturam, ut prima ſui ratione magni ſint, qualis comitia-lis morbus, aut attonitus. Alij iterũ quoniã in ſua ſpecie incrementum ſuſcepere, qualis febris ardens, aut magnus dolor. Alij tertio tales ſunt, eo quod mẽbrum aliquod ob-ſedere, quod principatum obtinet, aut principi alicui par ti colligantiã habet, ita ut ea per cõſenſum lædatur, qua-lia uulnera neruorum, aut articulorum ſunt. Hæc itaque omnia uacuationis indicia ſunt, quoniam magni morbi ge nere continentur. Cũ igitur ea uera ſint, aliâs tamen cer-tiores adhuc nos reddidit Galenus, quando quo loco de uacuatione quæ ad deliquiũ animi perducit, unà cũ Hip-pocrate diſſereret, nullum maius aut præſtantius ſe inue-niſſe auxilium ait in ardentiſsimis febribus, quàm ſi uenæ ſectione ad deliquium uſq; utaris. Quæ omnia ſatis conſo na ijs ſunt, quæ alibi uel Hippocrates ipſe, uel alius ea parte, ut Galenus teſtatur, Hippocratis nomine non indi-gnus, dixerat, ubi de ardẽtibus febribus ſermo haberetur: Acutas, inquit, ęgritudines uenæ ſectione curato: naturã ipſam proculdubio imitatus, quæ plurimũ ſanguinis pro-fluuio ardentiſsimas febres ſanet. Hæc itaq; cũ incorrupta Galeni atq; Hippocratis mẽs ſit, quamq; non modo uer-bis: uerum & opere ſæpius oſtendit. Quid tandẽ ſibi uo luit amethodicus iſte, dum ſe primum Galeni ſagaciſsimũ ſectatorẽ pollicetur, demum aperte Galeno aduerſatur? Qui tantũ abeſt ut quũ ægro abũde ſanguinẽ mittit, bilis efferueſcentiã pertimeſcat, quin potius ecõtra, refrigera-ri, atq; inde naturæ robur addi & ratione, et experiẽtia cõprobat. Pudeat igitur tandẽ eos, quos in cœno barbaro rum uolutari iuuat, taliũ præceptorũ, quanquàm nõ eo no

mine ſolum dam̃adi uideantur, quod eorũ uerbis perterriti generoſa oĩa auxilia omiſerint: ſed non minus quod unico calceo ægros omnes induant, eandemq́; ſanguinis menſuram unicuiq; detrahãt, nulla habita diſtinctione aut morbi, aut ætatis, aut habitus corporis: qua re quid turpius cõtingere poteſt, iis præſertim, qui methodo aliqua mederi credũt? Verum nõ eſt huius modo pertractãdi locus, neq; enim in uenæ ſectione modo, hoc turpiſsimo errore notandi ſunt: uerum & in unoquoq; auxilio ex his quibus ad ſanitatem uti ſolent. Nunc uero ad Auicẽnam reuertor: Qui ſiquidẽ incõſulto inſciusq; Galeno contradicit, neglıgẽtiæ, ne dicã ignorantiæ culpãdus merito eſt: ut qui in re adeo aperta à ſuo duce deſciſcat. Porrò ſi hoc ita ſibi uiſum eſt, atq; hãc rei ueritatẽ eſſe credidit: ſaltem rationẽ aliquam addidiſſe oportuit, qua & nos quoq; eo errore leuaret. At ratio ea eſt (inquies) quam & tu paulò ante annotaſti: quoniã ſcilicet bilis efferueſcentiã formidet. Cæterũ ratiocinatio hæc oĩno falſa uidetur ſupponere, ſanguinẽ inquã inculpabilem uacuari uena ſecta, bilioſum uero excremẽtum in uenis perſiſtere: Auicenna itaq; ita animo cõcepiſſe uiſus eſt, ut ſeorſum bilẽ, à ſanguine cõſiſtere putaret: neq; enim aliter imaginari poſſumus alterũ ſine altero uenæ ſectione educi. At iuxta Galeni mentẽ imò ueritatẽ ipſam, longe aliter ſe res habet: Siquando enim bilẽ putreſcere aut in corpore dominari, audimus, certũ eſt ab eo bilis uocabulũ pro bilioſo ſanguine uſurpari. Atq; id bona ratiõe, neq; enim ullibi in corpore per ſe cõſiſtit, præterquàm in fellea ueſica: ni caſu quopiã ab impultrice ui permota, aut in partẽ quãpiam decũbat (quales her

Bilem putreſcere quid.

lis her

lis herpes est) seu ad cutim moueatur uniuersam, quod ictericis contingit, necnon in decretorio sudore. Quocirca & Galenus cum ardentißimæ febris causam aßignare uellet, in libro de uenæ sectione, efferuescentis sanguinis copiã, eam dixit accendere. Cum itaq; unà sanguis bilisq́; cõsistãt, nec nisi magno labore per naturã secerni queãt, mirum est si secta uena simul quoque non exeat: erit itaq; eadem adhuc humorum proportio, uerum efferuescentia multo minor, uacuato scilicet & calido sanguine. Cum itaq; ratio falsa sit, oppositũ quoq; experientia demõstrauit: quando, ut Galenus inquit, pro æstu refrigerium, pro uigilijs totiusq́; corporis inquietudine somnus irreperet: necnõ & biliosi excremẽti deiectio, aut sudor. Obstabũt fortasse aduersarij, ac dicent, eos quos ardens febris male habet, haud ferre sanguinis mißionem præterquàm raro, si enim uerba ea consideres quibus quarto libro de acutorum uictu ardentis febris, generationem cõplectitur Hippocrates, uix fieri poterit, ut amplius eo modo affecto ægro, sanguinem mittas, tunc inquit febrem ardentem gigni, cum nimio æstu aut laboribus maximis, inanitæ uenæ biliosum ad sese succum attraxerint, qui quidem eo tempore ex ambientis caliditate, multus etiam in extima carne gignitur, ut ibi Galenus inquit. Innuit igitur hosce & temperamento biliosos esse, atque sub æstus tempore ægrotare: quorum utrũq; sane uenæ sectionem prohibet: illud quidem, quoniã eiusmodi corporis temperatura minus roboris obtinet: at æstas, quoniam corpus abunde dissoluit. Nos autem cum Galeno dicamus, continuam febrem, ut quæ in omnibus, aut saltem magnis uasis putrescen

febris ardẽtis generatio

tempies biliosa et aestas prohibet venæ sectionẽ

trescentium multitudinẽ habeat, non nisi robustis & boni habitus corporibus posse contingere. Ita enim libro ait Therapeutices XI. Continua febris bene habiti corporis ac calentis, propria est: quod scilicet, multo ac calido sanguine abundet, proinde & in florente ætate cõtingit plurimum, quod si demum corporis dissolutionem pertimescas, erit eo tempore unaquæq; indicatio pensitanda, & quo ad magnitudinem, & quo ad dignitatem, quẽadmodum multis locis Galenus fieri docuit, ac pro carũ ui singula peragenda. Verum de indicantium uiribus ac dignitate libellum scripsimus in amicorum gratiam. Atq; hæc de ardenti febre ad Auicennam dicta sufficiant.

Cõtinua febris robustorũ est.

Largam sanguinis detractionem à principio fieri debere: & quantum in uenæ sectione febris putrida, ab ea quæ ex sola obstructione est, distet.

NEque hac minus ea quoque sententia explodenda est, qua consulit in febre quæ ex sanguine ortũ habet, à principio parce sanguinem mitti: Cum uero concoctio adest, abunde. Sunt autem ipsius uerba eiusmodi: In febre autem sanguinea necesse ut euacuatio fiat, minutione nõ superflua à principio: superflua uero, cum affuerit maturatio febris. Nimirum his consentiens quæ antea dixerat, in principio penitus phlebotomia dimittatur. Cum autem maturatio apparuerit, & ægritudo principiũ aut statum præterierit, siquidem necessaria sit, fieri poterit: Huius regulæ rationem reddere uisus est alibi, eodem capite ubi ait: Oportet ut sanguinis minutio minor fiat, cũ febris putrida est, ut ad resoluẽdum febrem thesaurus relinqua

linquatur. Iterum quoq; ubi de putridarum curatione docet, ac sanguinis mißionis meminit, eamq́; quoad potuit è medio tulit: In eandem ferme sententiam uenit, cum ait: Ex uacuato sanguine debilitatur uirtus in crisibus expectatis. Hæc ille. Ego uero uel in risum rapior, quandoque hominis inconstantiam cõtemplatus, ac mecum ipse reputo, quanti referat in mala esse enutritum disciplina, ibiq́; cõsenuisse: adeo enim excæcari hominũ mentes, ut ijs accidat quod dici de amantibus solet.

Amatorem nanq; amicæ
Turpia decipiunt cæcum uitia, aut etiam hæc
Delectant.

En ipsmet qui modo hæc dixerat, paucis interpositis, Galeni quoq; autoritate suadet studẽdum esse, ut à morbi initijs uenam tundamus, properare nanq; multo melius esse. Cur igitur si hæc uera sunt, abundam tamẽ illam sanguinis mißionem, haud quidem ab initio, uerum cum iam concocti sunt humores, rite adhiberi asseris: atq; hoc in febre sanguinea, cuius cum ex proposito curationem aggredereris libro scilicet quarto: quacunque hora ægro occurras, uenam secari iubes, nec coctionem aliquã expectandam dicis. Quis igitur modo conciliator nobis cœlitus demittatur? quiq́; tantum sibi laborem suscipiat? neq; enim hoc aliud fuerit, quàm si mendacem immemorẽ defensare stulte enitaris. Quocirca et onus hoc uelut inutile nostræ ætatis Theologis, seu eorũ sectatoribus relinquendũ censeo: dignius ducens uiro philosopho, eoq́; qui per Auerrois, Schoti, Thomæ, ac Gregorij nugamenta euaserit, Galenicas tandem ueritates firmas atque inuiolabiles prosequi, cæteraq́; sophistis relinquere: qui uel

clamoribus saltē primas sibi partes arripiunt. Igitur Galenus lib. Terap. undecimo, in synochis omnibus sanguinem mitti iubet. atq; id ab initio morbi: priusquàm scilicet putredo ualida uenas inuadat: nam si eo tēpore adeo ingrato onere naturam leues, ilico & quæ putrida sunt excernere aggredietur: semiputrida uero & quæ nonnihil uitij contraxerunt, cōcoquet, ac temperabit, quare & nutritioni adhuc non incommoda euadent. Quin & eo auxilio destitutos uix saluari posse ait, quocirca & seruo qui continentem febrem ex humorum putredine patiebatur, sanguinem mittit: haud equidem parce uti tu suades: uerum usq; ad animi defectum. Quoniā uero & aliás diximus, Solere Auicennā ex Galeno præcepta sibi assumere: plurimum tamen longe à Galeni mente abesse: idcirco uerba ipsius subijciam, quæ & Auicennæ uerbis respondere uidentur. Porrò ipse libro artis curatiuæ undecimo quo scilicet loco febres quas putredo gignit, his conferre uidetur, quas sola obstructio fecit, quæ ex humorum multitudine est. Magni referre inquit, siue hoc, siue illo modo laboret æger: ubi nāq; sola obstructio quæ ex redūdantia ortum habet ægrum opprimat, proculdubio à sanguinis mißione curatio ordienda est. Sin putredo adest, plurima pēsitasse oportet. Dicit itaq;: Etenim si neq; obstructio subesset, aut putredo, sed sola succorum redundantia, protinus ad sanguinis mißionem, pro naturæ suæ ratione se haberet. Tantum itaq; sanguinis in omni tū corporis temperamēto, tum regione, tum anni tēpore detrahi par erat, quātum supra naturalē habitum fuerat inauctus: uerū quoniā neq; putredo curari per sanguinis mißionem

ſionē poteſt, ut quæ alia expoſcat auxilia, ſicut prius monſtratū eſt: neq; obſtructio, reponi ſanguinis aliquid ad curationis ſpaciū oportebit, quo minus intēpeſtiue nutrire cogamur. Ex his puto Auicennam quæcunq; paulò ante propoſita ſunt, ſibi aſſumpſiſſe. Quantū uero & ab ipſa rei uatura, & à Galeni mēte abſit, hinc diſces. Voluit Galenus (quo nos ab omni culpa ſeruaret immunes, ne forte aliquādo paulo audentiores in ſanguine mittendo ſimus) dehortantes quaſdā indicationes proponere quales ſunt, & æſtuoſus cœli ſtatus, et habitus corporis, mollis, laxus, gracilibus uenis, atq; omnino pauci ſanguinis. Quū itaq; uel ſyrius ardet, uel æger putrida male habitus eiuſmodi eſt, qualē deſcripſimus, timor eſt ne ſi ſanguinem mittas, oīno diſſoluatur. Quare alterum accidat, nempè aut cibatione morbū augeri, aut ægrum ad morbi uſq; ſolutionē, neutiquā perdurare. Neq; in uenæ ſectione modo docet nos Galenus uires inſpicere, uerum & in uictus ratione inſtituēda: ni enim ægroti uires probe cōiectaris, non minora profecto te manent incōmoda, quod ſcilicet aut intēpeſtiue cibaſſe cogamur, aut ad morbi finem non ſufficiat æger. Quid igitur ſomniauit Auicenna primū quando in putrida omni, etiam quæ (apud eum) ex ſanguine ortum habet, à principio diminuta quadam atq; exili ſanguinis miſſione, utēdum aſſerit: neq; enim hoc uniuerſaliter ſuadet Galenus, ut qui oppoſitum exēplo monſtrarit. Seruum enim cum putredinis notis febrientem, ad deliquium animi perduxit, isq; ad primos acutorum criticos dies ſanatus eſt. Quod ſi ſeruus eiuſmodi habitu extitiſſet, qualē paulò ante deſcribebat Galenus, profecto

fecto

fecto hanc curationis formulam minime fuisset aggressus. Quare quod Galenus casu quopiam uerum, atque obseruandum censet, tu inconsiderate nimis, ueluti uniuersale documẽtum, maximo hominũ damno, proponis. Si enim demum uires ualeãt, etiam si à morbi initio ad deliquium animi, uenæ sectione ægrum continente febre habitũ, perducas, nullo modo lædes, quin potius apprime iuuabis. Quod si putrida febris sit, uerum non ex earum genere, quæ septima aut quartadecima die finiri debeant, sanguinem parcius mittes, quo morbi longitudini æger sufficiat. Num igitur & cum coctio iam apparuerit uberius sanguinem mittet? atq; id cõplebit, quod in prima illa detractione omissum est? Nequaquam: cocto enim iam humore, medicamentis opus est, quæ cum deponant, ubi natura minime tentet. Atqui hoc ita faciam (inquiet) quoniã non amplius timor est ne æger ante morbi dissolutionem deficiat: itaq; nec uerebor modò largiorem sanguinis mißionem. An satius fuerat uir præclare huiusmodi auxilio in tempore uti, uirium inspecto robore? Cũ enim iam concoctio adest, minime ea tentanda sunt, neq; enim nos amplius morbi urget magnitudo, cum nullum instet periculum, si uires ualeant.

Non semper ad renutritionẽ, famem expectandam, etiam in sano corpore. Interim de famis generatione quædam aduersus Auic. Iterum sicca corpora minus humidis inediam ferre. Perperã item atque indistincte uinum biliosis tradi ab eo. Deq; uictu antiquorum non recte loquutum.

Quum

QVum mecum ipse considero de esculentis ac poculentis inscriptum ab Auicenna caput, olim adeo celebre, uidere uideor profecto inconditam quandã, & tumultuantem turbam, cuiuscunq; sortis hominum, qualem sæpe seditione orta forũ excipit, pueros, iuuenes senesq;, ac mulieres. Validos insuper atq; inualidos, nobiles et plebeios. Demum adeo dissectis membris hominum cœtũ, ut nec si tota die studiose enitaris, æque cõditionis (uel duos quoq;) iungere ualeas. Audi amabo quæ primo ingressu proponit. Qui inquit sanitatem uult custodire, uitet medicamentosa cibaria. At quam nã obsecro sanitatem? Magna quippe est sanitatis latitudo. Quod si temperatũ corpus atq; in ætate florenti, sibi seruandum proponit: Primum quidem non erant hæc absq; præfatione dicenda, seq; tẽperatæ naturæ uictum instituere, dixisse oportuit: Ne forte hæc uniuersim, ac cuicunq; corporis tẽpèramento cõuenire quis credat. Quod & ita accidit. Nullus nanque medicorum est, qui singula hæc uniuersalia atq; unicuiq; corpori communia esse non credat. Quasi huiuscemodi uictus aliquis poßit institui, ac non sit ex temperamẽto, ætate, & regione differentia? Porrò quæ primo loco proponit: innuere uidentur se temperati corporis uictus formulam inquirere, uerum quæ postmodum addit, haud ita sentire uidentur. Quin potius quod de omnibus ferè intemperati modis subsultim loquatur, nemo est qui legẽs ambigat. Cæterum ad ipsius documẽta propius accedamus, ac primũ de assumendi cibi hora cõsiderasse occurrit. Nõ comedas inquit priusquàm appetẽtia certa accedat. Quasi hoc certũ atq; inuariabile signũ existat, eo

ſcilicet tempore primum egere animans. Quæ quidem dicta & ſi primo aſpectu uera eſſe appareant, ſi tamen paulò acrius inſpiciantur, nõnihil dubitationis habent. Quod ut melius innoteſcat, paucula de ipſius famis generatione addijciemus. Huic itaq; primo aſſenſere omnes, oris ſcilicet uentris hanc affectionem eſſe, uerum generationis eius non unus traditur modus. Barbari nanq; hoc atræ bilis officium eſſe cõmenti ſunt, quæ os uentris petẽs, aſtrictione ſua uellicationem nonnullam cauſat, nempe qualem in lingua acida acerba'ue producere ſolet, quẽadmodũ Theophraſtus & Galenus docuere: ſed & unuſquiſq; quotidie experitur. Cæterum mihi dici uelim, quid nam primũ mouens exiſtat, quod ſtatuto quodam ac certo periodo, (nempè quum renutritione eget corpus) atram bilem in uentrem cogat defluere, quo ſcilicet totius egeſtatẽ ſignificet, atq; animans ad cibum capeſſendum excitet. Neque enim quicquam in corpore transfundi per uenas, par eſt, ni trahatur, aut pellatur. Pulſio uero non certo quodã ac ſtato tempore repetet, ſed cũ primum grauari membrum cœperit: quare accidet importune aliquãdo fame corripi animal. Trahi uero multo faciliora ſunt, quæ in primis uenis cõtinentur, atq; ipſo iecinore. Porrò qui famis cauſam quandã aſsignat: quæ morboſa eſſe poteſt, frigidi inquã atq; aceſcẽtis humoris occurſus, qualis in canina appetentia cõtingit: hic minus probe in medicina ſentire uidetur. Quum præſertim uera adſit Ariſtotelis ac Galeni ratiocinatio. Atq; hi quidem fatentur famẽ uellicationem quãdam oſculi uentris eſſe, quæ tunc primum accidat, quum inanitæ uenæ, ac proinde exugẽtes, uacuũ omnino uentrẽ

offen

famis gn̄atio

offenderint. Quæ quidem suctio, ubi ad os uentris perue nerit, nempè apprime sentiens, ui neruorum qui ad eum descendunt atq; ipsum contexunt, dolorem quendam gignit, ac molestum sensum, qui & non nisi assumpto cibo & potu, sedari potest. Quæ omnia adhuc abūde magis, in libro qui de symptomatum causis, inscribitur, posita sunt: ubi monstrat cum primum seu spontina quadā inanitione, seu exercitio, alia'ue huiuscemodi causa, uacuātur sanguine uenæ: trahere ilico extimas à uicinis, atque has deinceps, donec ad eas, quæ ab ipso uentre ueluti à terra radices trahunt, suctio peruenerit: quæ si uacuum eum offendant, conuellunt, ac torquent, atq; inde fames. Cū igitur hæc ita se habeant, uidendum modo est, num omnino uerum sit, id quod Auicenna tradit, nulli inquam cibū ex usu esse, priusquàm famescat. Hæc enim primum his aduersari uidentur, quæ Galenus in libello qui de naturalibus facultatibus inscribitur, dicebat, quum exemplo ostendere niteretur, unamquamq; particulam ex uicinis alimentum attrahere, si quidem egeat: quin & retrocessum quēdam succorum fieri ad ipsum uentrem, cum uacuus extiterit. Imaginatur itaq; Galenus, atque id optime, uacuum uentrem ubi appositum sibi alimentum assumpserit, proximis uenis alimentum surripere: quod si ipsæ unà cum Iocinore nutrimento abundent, atque hinc negligentius custodiant, detineantq́;, continget nullo modo interim animal famescere, utpote cui absque ui multa alimenti copia suppetat. Verum ubi Iecur iam inaniri cœperit, attrahenti quidem non amplius alimenti quòd optimum est, sed biliosa quædam, ac saniosa excrementa dimittet.

Quo rurſus fiet, ut malis ſuccis repleatur uenter, atq; inde capitis dolor, & cordis morſus contingant. Non itaq; operæprecium fuerit famem eo caſu expectaſſe, cum præſertim adſint & aliæ uacuitatis notæ, quas libro ſeptimo Terapeuticæ methodi proſequutus eſt, nempè ructus & uentris moles. Cæterum quod corpora multa ſint quæ minus appetant quàm expediat, ut quæ bilioſo admodũ temperamento exiſtunt, unuſquiſq; nouit. Verum ubi de inediam facile aut difficile ferentibus mentio incidit, conſideranda ſunt quæ dicit cum ſicciores naturas humidioribus confert his uerbis: Corpora humida humiditate naturali, ueloci reſolutioni idonea ſunt, nec tantum famis tolerant, quantum ſicca corpora. Neq; enim uideo quo nam pacto hæc ueritatem habeant. Siquidem enim in altera contrarietate ſit paritas (nempè ea quæ calidi & frigidi eſt) prius tamen proculdubio gracileſcunt, prius iterum uenæ concident in ſicco per naturã corpore, quã in humido. Quin & ſerius quoq; reficitur ac difficilius. Quare longæ inediæ in eiuſmodi corpore admodum medico ſuſpectæ exiſtunt. Quanto magis ſi utrobiq; calidũ exuperet: Calida enim ſiccaq; corpora minime omnium famẽ ferre queũt, ut lõgius declarauit Galenus libro artis curatiuæ octauo, ubi aperte oppoſitũ eius quod Auicenna docuit, ratione quoq; monſtrauit. Omniũ enim patiẽtiſsimum inediæ temperamẽtum ſtatuit, quòd calido ſiccoq; maxime aduerſatur, nẽpè frigidum atq; humidũ: intermedias uero tẽperaturas, quò plus frigidi humidi'ue ſibi aſciuiſſent. Cæterum nõ ea ratione dũtaxat circa bilioſas naturas peccat, quod eas plus humidis inediã ferre aſſerat, uerum & quia dicit

cit ijs uinũ ex uſu eſſe permaximo. Sunt autẽ uerba ipſius eiuſmodi: Vinũ præterea cholera rubea abundantibus confert, propterea quod eam urinã prouocãdo expellit. Hæc enim falſitatis ſuſpitionẽ non paruam præ ſe ferunt. Credet enim ex his quiſpiam & in bilioſis quoq; uinum à te laudari. Quod tamen calidis naturis aduerſiſsimum dixit Hippocrates. *Porrò ſi Galeni documenta hac parte nobis percenſere uolebas, prius oportuit uir præclare, uinorum diſtinctione habita, nõ quidem uniuerſim ea laudare, ſed ea ſolum quæ bilioſis iuuamenta ea præſtare poſſunt: id enim multo nobis utilius fuerit, quum aliâs dũ docere ſtudes, maxime errores ſeras. Non ita Galenus quẽ te ſectari par erat, hic nãq; cum pluribus locis, lõgius de uini differentijs uiribusq; diſputaſſet, aquoſo uino, leuiq; aſtrictione prædito, has tribuit dotes, ut ſcilicet & ab aquæ uitijs recedat, & à uini noxis longe abſit. Eſt autem hoc colore album, ſapore auſterũ (ita enim leuiter aſtringẽs apud Galenum audiendum eſt, nam acerbum poſtmodum id dicemus, quòd ualẽter atq; iniocunde aſtringat, qualia & multa hodie guſtamus, nã et auſtera uina, et acerba quoq; in precio ſunt.) Hæc dixi iucũdiſsime Paule in homuncij illius gratiam, qui in Galenica diſciplina ſe nemini ſecundum putat, quiq; noſtræ tẽpeſtatis medicis ferè oĩbus urbis noſtræ, multo hominũ dãno præfertur: meminiſti enim quo pacto auſtera uina ea eſſe aſſerat, quæ flaua calida fauces caputq; tẽtantia maxime ſunt, quæq; hodie multi emũtur. Quũ enim ſemel inueniſſet nobile Sabinũ à Galeno auſterũ dici, At quæ nã (inquit) eſſe põt in tenui atq; aquoſo uino nobilitas? ſimul & Creticũ deguſtans, quo*

Vinum auſterũ

ipsum austerum esse cōtenderet, talem præ se ferebat uultum: qualē Vespasiano Cæsari extitisse historiæ tradūt.) Eiusmodi igitur uinum est quod biliosis ex usu esse Galenus uoluit, quod inquam oīno ut Hippocratis uerbo utar oligophorum est, ac frigidum, cuius dotes cum pluribus locis extollat Galenus, tum maxime in libro de tuenda ualitudine. Ad biliosa inquit excrementa mitiganda aut uacuanda ualde idoneum est, quum & bilis acrimoniā frangat, ac per urinam sudoresq; eijciat. Neutiquam silentio prætereundum uidetur, quod cum ueterum nobis parcitatem pro exemplo proponeret Auicenna, eos non ciborum uarietate se implere consueuisse ait: uerum carnē solam mane gustare solitos, in cœna uero solum panem. En uerba ipsius: In tempore quoq; antiquo qui exercitabantur (magis ad mentē ipsius leges (puto) qui negociosam ducebant uitam) iam fugerūt ab hoc. Contenti enim erāt solius carnis esu in mane, & solius panis in cœna. O utinā nobis modo accedat aliquis ex his qui eius animā sortiti sunt, qui, quos nā antiquos appellarit, exponat. Galeni enim ætate admodum immutatus erat uiuēdi modus ab eo qui Hippocratis. Verum multo adhuc magis Paulo Aegineta scribente quod & ipse de febribus agēs testatur. Sed qualiscūq; ea ætas extiterit, quæsijsse oportuit ubi nā adeo fatuā uiuendi formulā legerit aut audierit, ut pransuri rapaciū instar solas gustarent carnes, panē uero solū cœnaturi. Ego uero tantū abest ut credā aliquādo apud bene institutas urbes eo modo uictitari (siqua enim barbaræ gentes gerunt, non ea sunt quæ nos suo exēplo mouere queāt) ut neq; ad sanitatē tuendā cōducere arbitrer. Explosa

plosa enim iam diu eorum sententia est, qui plus cibi mane assumendum suadent, quo magis mirere quosdam huius hominis autoritate fretos, qui & antiquum illũ uiuendi modum laudasse uidetur aduersus Galenum primum; mox & ueritatẽ ipsam, cõtrariũ scriptis asserere, uerosq; ac Galenicos medicos etiam usq; ad conuitia incessere. Verum de his aliàs. Illud potius cõsiderandum erat, non bene ab eo Galeni uerba referri, de nutriente prout aduersus medicamẽtum diducitur: neq; enim unquam dulce excluderet Galenus, ni medicamentosam quampiam qualitatem secum admixtam habeat, qualis in melle & cinnamomo est. Tu uero qui qualitates omnes præter insipidam à ratione cibi amoues, malua, blito, atq; atriplici, aut siqua alia insipidiora sunt merito eris alendus.

Tenues succos nõ esse uacuationi ineptos, dum mobiles sint. Nec bene rationem nosse Auicennam, cur turgens humor uacuandus sit. Iterum aduersus eum de coctionis naturã uiribusq;, nec medicum humores concoquere probe dici.

V*Erba principis Aboali: Humoris aũt colerici digestio est, ut cõuersus à subtilitate fiat spissus, & aqua quidẽ frigida facit illud. Quanq̃ nulli dubium sit, nõ esse plerũq; crudos humores ante coctionẽ mouẽdos. Causam tamẽ, cur uetaret q̃nq; Hippocrates crudi humoris dimotionem, q̃nq; suaderet, nõ uidit Auicẽna. Nã si uidisset, neutiq̃ necessariũ putasset medico, ut tenues humores crassiores reddat. Quo uidelicet magis sint naturæ aut medicamento obsequentes. Succos enim tenuiores pellentium*

aut attrahentium uim frustrari ait. Cum igitur dixit Hip*pocrates turgentem humorem ab initio uacuari debere: hanc solam existere causam arbitratus est, quoniam scilicet eius prauitate accelerare cogamur: quia acutißimã accendit febrẽ, & timemus ne magnitudini morbi æger succumbat. Quare & hãc medici operationem intempestiuã esse ait, ac ueluti coactam, quẽadmodum si præter rationem aliquando cibare cogamur, hæc ille cum* Hippocra*tis uerba exponeret.* Erat *tamẽ & altera multo magis efficax ratio, quam si uidisset, proculdubio minus multo errasset: ea est uacuandi facilitas, quæ & ex parte uacuandi humoris, nec non & impellentis naturæ se tenet. Quod enim mobile est, facilius diuelli trahiq; posse, quis est qui nesciat?* Nam *qui ex aduerso (inquit libro* Aphorismorũ *quarto) iam in aliqua parte firmati sunt humores, haud amplius trahenti obediunt priusquàm concoquantur: nam eo tempore & uincit iam natura, & secretionem molitur, quocirca eam adiuuantẽ sortimur.* Cur *igitur inquies turgente materia cum pulsu facilis sit, eam tamen naturà non pellit?* Verum *medico opus est manũ porrigente: Satis enim irritatur, neq; habet uti dicis ex parte pellendi humoris controuersiam.* An *turgentia ea atq; mobilitas, nil aliud est quàm pulsio quædam humorum quæ nimirũ accidit, dum ualidiora membra ad alia tradũt, hæc uero rursus ad alia, donec in aliquam partem decumbant, quæ uel per naturã uel ex morbo paulò minus roboris habet.* Ac*cidet autem forte fortuna & ad excretoria membra transfundi, atque sanari ægrum.* Ver*untamen non semper ita contingit, quoniam natura eo tempore, ueluti furijs actitata, haud*

tata, haud probe motus ſuos inſtituere poteſt. Quare probe dixit Galenus, opus eſſe manum porrigente quopiam, atq; ad excretorios meatus dirigente. Cum igitur turgentes humores ſua mobilitate, faciles uacuatu ſint, mobiles uero ſua tenuitate exiſtant: Cur nam ab eo dictum eſt humoris tenuitatem uacuationi obſiſtere, atq; idcirco craſſos fieri oportere, etiam frigidæ potu? Ego uero Galenum obſeruans, ubi de humoris præparatione meminit craßitiem duntaxat aut uiſciditatem corrigi oportere audio. Illam quidem, eo quod craſſus humor motui ineptus eſt, ac per anguſta uenarum ora ferri nequit: hanc autem, quoniam quæ ſuo lentore adhærẽt, uelli haud facile poſſunt. Sunt tamen aliqua quæ fortè minus exercitatis negocium faceſſerent. Ac primum id quod in deſtillationibus, & grauedinibus contingit. Quæ enim per nares expurgantur, ſi quidem tenuiora ſint, nequicquam nititur natura ſternutamentis expellere: quod ſi paulo craßiora fiant, facile fuerit. Quæ item ſcreatu aut tußi educi ſolent, hoc idem commodi, aut incõmodi patiuntur. Quamobrem & tunc concoctam iam deſtillationem dicimus, quoties craßitudinis aliquid ſibi aſciuit, quoniam & expui facilius eo tempore poteſt. Dehinc ſi naturam ipſam, dum uitioſo humori pellendo ſe accingit, craßiorem eum reddere cernimus (hoc enim cum in ſcreatibus appareat, non minus tamen & in ea quæ in uenis fit coctione: ubi quæ ab initio tenuis urina extiterat, procedente mox tempore pinguior euadat, unà & quæ in ea pendent) cur non & medicus, eam imitatus, atq; eius operum diligens auxiliator, craßiores reddere enitetur tenues ſuccos? Si

enim ut Auicēna dicit humoris tenuitas ex usu foret, atq; ea ratione facile pelleretur humor, cur non ilico expulsionem moliatur natura? signum itaq; est quippiam aliud, præter hæc exigi, quod operi faueat: hoc autem est concoctio: concoctio uero ea est, ut quod tenue fuerit, crassum fiat, quemadmodum res ipsa ex euentu demonstrat. Non minus & Galenus huius sententiæ extitisse uidetur, cum in eo libro, qui de constitutione medicatiuæ artis, inscribitur, ait, Oportere medicum excessus omnes corrigere, crassiora quidem tenuitate, tenuiora uero crassitudine. Verum ad hæc in hūc sanè modum fiet satis. Quod enim primum de grauedine ac destillatione obijciunt, neutiquam negandum est. Neq; enim crassitudine modo participare debent, quæ sternutamento, aut tussi expellenda sunt, uerū & uisciditate nonnulla, cuius rationem facile est uidere. Cum enim ui aëris pelli debeat horū unumquodq;, expedit ut lētore & crassitie materia participet, ne spiritu permota difflet, ac cedat, quæ enim pelli debēt, aliqua etiā ex parte opus est pellenti obsistere, non adeo tamen ut uiolentius inhæreat, tunc enim mouētis aëris uim superaret. Num igitur & uitiosi succi, qui in uenis est, pulsio, crassitiem exigit huius exemplo? Nequaquam: neq; enim aëris impulsu perficitur, uerū expultrice facultate, suis usa instrumentis: de quibus ubi de usu partiū disserit Galenus, satis sermo fuit. Quo igitur mobilior succus ac tenuior extiterit, eo impelletur facilius, non sicut in catharro contingebat. Porrò quod de actione naturæ obijciebatur, hoc modo dilues. Præsciri itaq; uelim, pellendos humores nō unica ratione, in corpore reperiri, uerū uagari quādoq;,

atq;

atq; turgere, quandoq; uero in parte quapiam firmatos quiescere, quæ etiam ueluti focus est febris. Sic igitur dicebat Hippocrates: *Qua parte corporis sudor est, aut calor, ibi morbũ esse significatur.* Atq; *hoc pluries accidere dixit* Galenus, *quoniã plurima nõ turgent. Cũ igitur hæc ita se habeant, magni profecto interest, siue hoc, siue illo modo uitiosi succi se habeant: si quidẽ enim mobiles sint, purgari ilico poterunt: Sin autem quieti, fieri nequit, ut aut natura, aut arte ante coctionem expurgẽtur. Ita enim & Galenus ait: Quum humores mouẽtur, ac per corpus feruntur, nondũ in aliqua parte firmati, tũc ad eos expellendos natura incitatur, & aliquo eget manũ porrigente, & hũc humorẽ motum ad aluum ducẽte. Quum uero in aliqua parte firmati fuerint, nullo modo mouere oportet, scilicet antequam cõcoquantur: multa enim sequi incõmoda, siquis dimouere tentarit, dixit* Hippocrates. *Nõ igitur ibimus inficias, humores tenues si quidẽ aliquã partẽ quieti obsederint, coctionẽ exigere, ut abijci à corpore queãt, uerũ nõ ex eo ut craßiciẽ adipiscãtur, quẽadmodũ uoluit* Auicẽna *(hãc etenim & attractiõi medicamẽti, & pulsiõi naturæ obsistere certũ est: quã rẽ in sudoribus, atq; urinis maxime uidere est: qñ quæ eiusmodi uijs uacuãtur, per angustos meatus ferri debẽt) sed potius quatenus edomiti, ac naturæ obsequẽtes redditi: absq; molestia aut labore multo ad cõueniẽtia uacuationis loca mittãtur, aut trahantur. Quod si concocto iam humori accidat, ut paulo craßior euadat (cũcta enim quæ à calido patiũtur euaporante, scilicet humido tenui, aliqualiter crassescere uidemus) minime debuisti, ea de causa documentum afferre,*

quod

quod scilicet tenuitas uacuationi obsistat, sitq; ex usu crassicies. Verum id potius expeti, coctionem scilicet, quæ nimirum crassiciẽ quampiam nequit effugere. Cum igitur hæc ita se habeant, nõ leuiter culpandus nobis Auicenna uidetur, qui medicis suadeat, quo scilicet humores tenues concoquant, atq; expulsioni parent, ut frigidam ægris biliosis exhibeant, dum putrida laborant. Cum tamen prius quàm humores concocti sint, eam omnino Galenus prohibeat, nisi res urgeat ualidissime, ut mox dicetur: Verum non modo ea ratione peccant nostri medici, quod Auicennæ obtemperantes, frigidã intempestiue exhibent ægris. Verum quod frigidas quoq; potestate potiones, imò & astringẽtes quoq; inuenere: quamobrem & granatorum succo potant, & astringentes fructus, quale omphacium est, seu aurea mala atq; eiusmodi multa in ægrorum pernitiem. Quæ omnia ipsis ex Auicenna hæreditario contingere, qui ubi febres quæ ex putredine curat, præsertim pestilentes, talia consulit. Quod uero postremo ex Galeni uerbis adiectum est, nulla ex parte dictis aduersatur, si quorsum ea dixerit, quis aduertat. Ibi nanq; aperte, de ea artis parte sermonem habet, quæ sanitatem tuetur: optime itaq; præcipit, succos mediocritatem quandam seruare oportere, ita enim minime putrescent, naturæ chari, atq; utiles. Porro si crassi extiterint, extenuante uictu utendũ, de quo abunde in libro de tuenda ualetudine scripsit: Sin tenues nimium, admixta nimirum sanie multa, seroso item aut bilioso excremento ea, expurganda, uictusq; instituendus, quò minime huiuscemodi succos gignat. Num igitur & quũ tenues succos à corpore abijcere in animo est,

est, aut semiputridos putredine expoliare, crassos redde-re tentabimus? Minime: neq; enim coctio huiusmodi est, uerum alteratio quædam, ut mox dicemus. In plenũ aliud est uictum instituere, quo mediocris sanguis fiat, aliud ui-tiosum humorem expulsioni facilem reddere. Quòd si di-cant, Galenũ quoq; huiuscemodi auxiliorũ genere usum: quando in coli dolore, qui quidem ex acri ac mordẽte hu more oriebatur, infundi per sedem suadet, quæ frigida po testate existunt, quale est opium, altercum, mandragora: quoniam, inquit, inter cætera commoda quæ ex his con-tingãt, illud nimirum est, quod humorem tenuem cogũt, crassantq;, ac uehementem calorem obtundunt. hæc ibi. Verum qui sic dubitat, sic opponit, neutiquam aduertisse uidetur Galenum ibi aduersus symptoma pugnare, neq; enim aut concoquere humorem, aut à corpore abijcere nititur, sed dolorem interim lenire, simul & doloris cau-sam obtundere, nempe acritudinem, quod optime ea præ-stant. Vbi uero sæpius de coctione mentio incidit: dignum consideratione est, uidere, quàm inepte de ea sentiat Aui cenna. Is itaq; cum sanationem putredinis, concoctionẽ dixisset libro quarto, eius naturam his uerbis declarat: In-tentio in digerendo est æquare substantiam materiei, ita ut fiat præparata ad expulsionem facilem: Aequationem uero explanauit, dum inquit, Digestio in grossa est æqua tio cum subtiliatione, In subtili cum ingrossatione. In cu-ius quidem rei notione, mirandum est uirum philosophũ, & quem in definitiua arte quippiam profecisse par sit, per ea quæ posteriora sunt, & consequentia definisse. Neq; enim aliud fuerit, coctionis naturam ita accepisse

quàm

replicatio

de coctione est Auic.

quàm si motum per id quod est calidum gignere, aut rarum facere definias. Porrò uidetur coctionis uocabulum quippiam prius, quod & causa sit, afferre: insequi uero postmodū, ut ea quæ coctione elaborata sunt, facile excernātur. Dicēt fortasse uti solēt, digestionis uocabulo (quod loco coctionis usurpat) eam actionē intelligere Auicennā, quam suis auxilijs medicus efficit, proinde & aliā quoq; esse naturæ actionem, quam & coctionē medici dicere solent: de qua sermo nobis modo non est. Cæterum prudentes hos uiros (quorum studium est huiusmodi deliramenta tutari) mihi dixisse uelim, cur primum nomina confundunt, ac coctionis uocabulum ei tribuunt, quod proculdubio longe à coctione distat. Scimus nos reddere bonū medicum succum uitiosum placidiorem, ac minus naturæ rebellem: quo facilius confici ac pelli queat, dum dissecat, attenuat, detergit: sed & alijs quoq; auxilijs, quæ quidē eadē ratione, digestionis uocabulo comprehēdenda erāt, qualia sunt alterationes omnes, quas uno uerbo putredini aduersari dixerat, tertio artis paruæ: quas etiam artis curatiuæ libro undecimo abunde docet. Siquis tamen ex his coctionem fieri dicat, nil aliud fuerit, quàm si molarem lapidem, aut coquum, cibum coquere, ac conficere dicamus. Sed ut ad Auicennam reuertamur, non decuit profecto talem ac tantum medicum coctionis uim atq; naturam ignorare, nec si nouit eam silētio præterijsse: quin potius ignorantiæ arguendus est, ut qui eandem specie actionem esse putarit, & quam primum natura ipsa exercet, & quam auxiliatrix medicina: quod hinc patet. Cum enim putredinis sanatiuas causas doceret (quamuis

primas

primas & maximas dimittat) seorsum ab alijs digestionis meminit, his uerbis: Necesse est ut digeratur, aut uacuetur. At nulla potest esse digestio quæ putredinem sanet, præter coctionem illam, quam natura molitur. Quòd si ita se res habet, cur statim eam definis digestionem quæ à medico est. Præterea nisi digestionem uocabulum aliter subinde accipiat, atq; in continua æquiuocatione uersetur, certum est, idem intellexisse eum, cum Hippocratis & Galeni uerba de digestione ab eo dicta, referret, ac postmodum, cum digestionis definitionem posuit. Cum uero res hæc scitu digna existat, neq; à principe nostro Auicenna satis declaratum sit, quid coctionis uocabulo ueteres intelligãt, seu quam uim habeat, adeo medicis expetita concoctio, operæprecium fuerit, quæ à Galeno super ea materia scripta sunt, breuibus transigere, ac pro uiribus enucleare. Est igitur coctio, alteratio ea quæ in humido fit, ab innato corporis calore, mixturam perficiens. Coctio quid ex Galeno
Dico autẽ innato calore, quoniã ab eo prima est coctionis radix. Neq; enim alia ratione, extrinsecis calidis iuuari solet, nisi quatenus huic robur addunt. Atq; alia quidem qualitatis similitudine adaugent: alia uero emplastica ui, qua ipsum digeri prohibent. Quod si concocta ipsa plurimam perfectionis differentiam sortiantur, hoc nimirum ex succi natura est. Alia enim ullatenus perfici nequeunt. Alia iterum ita transmutantur, ut nutriendo corpori similia euadãt. Sunt & quæ medio modo se habeãt, ut quæ aliqua ex parte calidi actionem suscipiant, uerum omnino confici nequeant, propterea quod à putrescente calido, male habita sunt. Alia demũ nutrimenti rationem,

non ſubterfugiunt, uerum ſua natura difficilia ſunt ut concoquantur. Primo itaq; genere putreſcentia comprehenduntur, quæ quidem nulla ex parte corrigi queunt, uerū à corpore penitus abijcienda ſunt. Poſtremo uero genere ea continentur, quæ quidem initio calidi actionem ſuſcipiunt, non eam tamen qua perficiantur: atq; hæc nō æquidem putreſcentia, ſed cruda dicentur: Putredo nanq; corruptionē ſignificat, cruditas uero coctionem imperfectā, quamuis cruditatis quoq; nomine, quandoq; putreſcētia comprehendat Galenus: quæ mediam quandam naturam obtinent: ea nimirum ſunt, quæ neq; omnino perfectam coctionem ſortiri queunt, nec tamen cruda penitus, atq; actionis calidi expertia ſunt. Hoc autem propterea euenit, quod humidum omnino alienum non eſt, ut uinci aliquo pacto nequeat: neq; iterum adeo familiare, ut perfectam alterationem ſuſcipiat, quam & proprie coctionem dicimus: Cum enim iam in corruptionem tenderet, ac nutritioni minime foret idoneum, transmutatur in mediam quampiam naturam, eius ſcilicet quod omnino corruptum eſt, atq; eius quod corpori familiare efficitur. Pus itaq; fit à natiuo calore aliqua ex parte humidum obtinente, non autem omnino, propterea quod ab alieno calore corruptionem nonnullam ſuſceperat. Quod ſi concoctum iam pus exiſtere dicimus: non quidem exactiſſimam illam coctionem intelligimus (nam & Ariſtoteles eam quæ in abſceſſibus accidit minus proprie coctionem appellari ait:) ſed quia ab eo ſtatu in quo prius conſtiterant alteratione facta, quoad ſcilicet fieri potuit bonitatis nonnihil acquiſiere. Quæret itaq; quiſpiam non immerito,

Cruditas. Putredo. Pus. dub:

rito, num aliquis corruptorum ordo corrigi queat, an penitus quæ ab externo calido quippiam passa sunt, innati caloris actionem frustrentur. Atqui his faciet satis Galenus ipse libro Aphorismorum secundo: ubi in hanc scripsit sententiam: Quemadmodum (inquit) acescēte uino contingit quandoq; ut artis, aut naturæ beneficio ad pristinam redeat naturam, ita & si mox corruptio procedat, iam nō poterit amplius reuerti. Hoc & in sanguinis corruptione accidit, siquidem enim leuem adhuc susceperit, corrigi poterit, sicuti undecimo artis curatiuæ, docet Gal. Sin maiorem, neutiquam poterit omnino innati caloris actione superari, neq; iterum uim eius omni ex parte effugiet, atq; hoc est mediam nancisci naturam, qualis in pure est. Quod si demum penitus corruptus sit, iam nullo caloris nostri opere iuuari potest. Verum igitur est, quod initio proponebatur, unicam quidem esse innati caloris actionem, & qua cibos afficit, & qua putrescentes succos: Cæterum non unicum sortiri finem, propter afficiendi corporis dispositiones. Iam igitur manifesto apparet, & quid nam humores concoquat, & quid nam concoctio sit: cur item multæ concoctorū differentiæ existāt. Nam & Hippocrates cum de pure loqueretur, Laudabile est (inquit) si minime liuens, nō fœtidum, quasi & coctionis eius quæ in pus uertit, plurimæ sint differentiæ. Est autem coctionis proprium ut putredinem cessare faciat, ut Galenus dixit, ea nimirum ratione, quod cum semel innatus calor externum superauit, insequitur in excoquendo humido mediocritas quædam, qua & omni acritudine exuitur, simul & praua omni ac rebelli qualitate,

i quod

verba Galeni

quod & in cibis accidit, quũ probe cõficiuntur. Quamuis & quæ modo cõcocta sunt, ni citius abijciantur à corpore, processu temporis putrescant iterum, ut Galenus docuit. Quamobrem & quæ relinquũtur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt.

Nõ temere credendum absynthŋ succũ uentri inimicum esse: deq; salsedine absynthŋ hallucinari Auicennam, atq; ex ipsius libro secundo pauca.

ABsynthij succum uẽtri inimicum esse scribit Auicenna, sed & post eum Mesues, ut qui ipsum plurimũ sectari soleat. Atq; hic quidem à Serapione, hic uero rursus à Dioscoride, qui capite de absynthio ita inquit: In potionibus tamen eum non probamus, stomacho enim nocet, & capitis dolores facit. Addiderunt hi causam, cur eiusmodi incommoda pariat: salsedinem, quam satis norunt, & uentri officere, & uomitum & aiunt ciere. Cæterum si ita se res habent, mirum profecto est, cur nõ modo eum potui tradant, Auicenna & Mesues, sed quod amplius mirere, ad uentris uitia eo utuntur, succũ nanq; absynthij appetentiam excitare aiunt. Hæc igitur acrius consideranti, non nihil suspitionis habent: neq; enim primum salsedo ea qualitas est, quam credamus nauseam uomitumq́; ciere: proinde & uentri officere, quin potius ea quæ sale condiri solet (salgama uocat) gustui grata sunt, atq; in quotidiana mensa recepta: contra, quæ salis expertia sunt, insipida fere, atq; inolida, demum omnino gustui ingrata reperies. Porrò esto sal nauseam ciens, ac uentri inimicum; num ea de causa absynthiũ fugies, quod scilicet

salsitudine

salsitudine abundet? Haud sanè: nam & si quispiã acrius gustarit, amaritudinem, atq; astringentiam ualidam in eo reperiet, atq; omni sui qualitate, uentri gratum, ni os amarore torqueret. Tu'ne igitur (inquies) Dioscoridi obuiam ire audebis? Ego uero neutiquam Dioscoridi obuiam ire timuerim, dum Galenũ aliter sentientem uideam. Is itaq; in libris simplicium pharmacorum de abrotano in hunc modum scribit: Inimicum est stomacho abrotanum, & seriphum: gratum uero absynthium. Nam amarũ omnifariam stomacho infensum est: austerum uero, & acerbũ, atq; uniuersim astringens omne stomacho amicum. Ea igitur est causa, cur hoc quidem uentri aduersetur, hoc uero minus: non autem salsedo, quã absynthio inesse Mesues & Auicenna scripsere: cum tamen salsus sapor non nisi seripho proprius sit: neq; ea ratione uentri inimicum eum esse asserat Galenus: sed quia amaritudinis multæ, astrictionis uero paucæ particeps existat. Cum igitur multis modis peccet ratiocinatio hæc, atq; idcirco nullam fidem conclusioni faciat, multo satius fuerat Auicennæ, experiri num huiusmodi incommoda pareret absynthij succus: quàm ubi semel id scriptum inuenerat, ratione quoq; cõfirmare uelle. Quod si fecisset, haud temere multa pronunciasset, quale est quod apium capiti inimicũ sit, quod radix pentaphyli perniciosa, quod ancusa ualidißime menses cieat, atq; alia multa, quæ experientia falsa esse monstrasset: neq; iterum difficile est in plurimis uidisse erroris causam, atq; originem: plantarũ enim notitiæ imperitus, sæpius æquiuocatione aliqua decipitur, quale est quod de absynthio pauloante dicebat. Cum enim & seri

phum quoq; absynthiũ dici soleat, hinc factum est, ut quã huic salsedinem Galenus tribuit, isti uniuersim ad absynthium transtulerint. Nam *quod de pentaphyli radice ait, nullus est qui non uideat, à colchico transumptum esse, æquiuocatione quadam, quoniam scilicet tam colchicum quàm pentaphylus, hermodactyli nomine censeretur?* Verum *non est modo nobis animus errores ipsius in simplicium medicamentorum uiribus aut natura annotare.* Hoc *unum tamen prætcrijsse nolim, quod initio secundi libri scribit, ubi summatim medicamẽtorum uires enarrat.* Vix *enim fieri potest, ut à quopiam uel minimũ medicinæ perito, dicatur carnis productiuam eam medicinam esse, quæ sanguinem superuenientem ulceri coagulet & exiccet: cũ enim* Galenus *libro tertiò, ac deinceps in curatiua methodo de his dissereret, ne utiquam uoluit medicum quippiam per se operari, sed ueluti eum qui probibentia longe amoueat: quamobrem & ea ratione carnem producere docet, si detergentibus & siccantibus modice utaris: tu uero imaginaris uim medicinæ esse, nõ naturæ, quæ sanguinem ipsum influentem coagulet, atque in carnis speciem, ac consistentiam ducat.* Verum *hæc parum quoque in ea arte exercitatis nota erant: quamobrem non est cur de his loquamur amplius.*

FINIS.

